Nos Nycolaus oc. recognoscimus —, quod discreti viri Ch. de — et H., concives et coniurati nostri, deliberacione et consilio prehabitis taliter de statu puerorum, heredum, orphanorum quondam — utriusque sexus, ordinarunt, videlicet, quod — dictus — patruus eorum, concivis noster, debet eos recipere et tenere in victu et amictu nec non et aliis necessariis per minores annos continuos a data presencium proinde. De quibus tamen orphanis virginem ad s. Mariam Magdalenam trans pontem Prag. deo devotam specialiter in eius vite necessariis, que a conventu monasterii predicti habere non poterit, procurare tenetur. Et quia idem Martinus recepit et habet C et xL s. gr. pr. in parata pecunia orphanorum ipsorum, ipse debet quolibet anno hiis tribus annis durantibus XII s. dictorum grossorum pro lucro ipsis orphanis superaddere ad summam pecunie, quam recepit. Debet etiam ipse M(artinus) collectas civitatis Pragensis, si que medio tempore colligerentur, expedire pro eo, autem pro aliis (spatium) que per ipsos expedit orphanos in sortem summe pecunie predictae, quam habet, computaturus nec de ipsa summa aliquid decessurus, sed finitis tribus annis predictis totam summam pecunie principalem et adauctam, scilicet C et LXXVII s. gr. predictorum simul et semel ipsis orphanis reddere et tenebitur et debebit. Pro hiis C et LXXVII s. gr. M(artinus) prefatus de voluntate et assensu domine Elyzabet, coniugis sue legitime, domum suam, quam inhabitat cum pertinentiis ad eam spectantibus, sitam in ipsa civitate Pragensi orphanis ipsis obligavit loco pignoris sub hac forma. Quod si non reddiderit summam pecunie ipsis orphanis iam dictam hiis tribus annis elapsis, extunc immediate domum suam predictam exiree, vacuare tenebitur, de qua quidem domo ipsi orphani se tunc intromittentes libere absque strepitu iudicii et querela habent et habere debent plenam licenciam et liberam potestatem domum ipsam vendendi vel obligandi de cetero pro sua summa pecunie predicta obtinenda, residuum ipsi M(artino), vel cui mandaverit, reddituri. In cuius rei testimonium —.

11. Resignacio ipsius domus in iudicio.

B. I.

Nos oc. recognoscimus, quod honesta matrona Elyzabet vidua, relicta quondam — dicti Payer, constituta coram nobis dum in publico et contestato iudicio presideremus, resignavit et dedit de assensu heredum eius utriusque sexus et etiam de consilio et voluntate eius amicorum domum cum area et aliis pertinentiis ad ipsam domum spectantibus universis, sitam inter domos Wolffini pellificis et Chunradi dicti Pleyer in ipsa civitate Praga Nycolao dicto Weger, genero eius, et Chunle (?), coniugi sue legitime, ementibus et recipientibus pro XL s. den. gr. prag., quas eis ipsa dotis nomine solvere tenebatur, et pro L s. eorundem grossorum, quas ab ipso Nycolao recepit in parata pecunia, prout ab ea, per eundem Nycolaum et ipsam Ch. habendam et proprie pleno iure et

hereditarie in perpetuum possidendam, salvo tamen censu annuo, scilicet XV denar. gr. predictorum, quos ipse Nycolaus, heredes et successores sui de ipsa domo et area rectori et ecclesie s. Marie Magdalene Prage pro remedio animarum solvere sunt astricti. In cuius —.

12. Exsolucio census.

B. II.

Nos Io. oc. recognoscimus, quod discreti viri P. Rocz. et Io. dictus Stuk, concives nostri, emerunt et exsolverunt pro sororibus sanctimonialibus ad s. Annam Prage rite [et] racionabiliter pro quadam certa pecunie quantitate apud Io. de Lapide, etiam concivem nostrum, censum annuum quinque s. gr. den. prag. cum XXIII gr. predictorum den. super quinque areas sitas in Longa platea quondam Henrici, civis Pragensis, quarum unam Pesoldus frenarius solvendo L gr., alteram N. solvendo LX gr., terciam Ia. aurifaber solvendo XL gr., quartam P. armifex solvendo XXX gr. quintam Io. solvendo XX gr. possidet, iure hereditario sub pactis et condicionibus infrascriptis, videlicet quod viri prememorati, heredes et successores eorum, censum predictum ex nunc singulis annis perpetue in duobus terminis dare debeant in omnem eventum et solvere debeant quilibet eorum, medietatem census debiti in festo b. Galli et aliam medietatem in festo b. Georii proxime tunc affuturo, contradiccione qualibet proculmota. Quandocunque autem in aliquo prefixorum terminorum debitum censum non dederint, tunc immediate in sequenti termino debet censum simul et semel reddere omni contradiccione cessante. Quod si non fecerint, ex tunc aree predictae cum domo predicta debent ad Io. prefatum pro ipsis sanctimonialibus devolvi iure hereditario, ita quod ipse Io. se de ipsis areis et domo libere intromittentes facere poterit de ipsis et cum ipsis tamquam rebus et hereditate propria, quicquid sibi pro sanctimonialibus prefatis expediens videbitur et placuerit, impedimento quolibet non obstante. Posterea Io. prefatus etc.

13. Forma omagialis seu sub condicione.

B. III.

In nomine domini amen. Cum per varios rerum tumultus evergentes multa ab humana labuntur memoria, necesse est ea, que ad posteros voluerimus emanare, scripture testimonio confirmare. Notum sit ergo universis tam presentibus, quam futuris, quod nos Th. et Nycol. dictus in Turri et Io., filii quondam Wolffini, cum filiis nostris nec non tota communitas civium civitatis Pragensis consideratis dampnis et incommodis ac variis malis eventibus, que propter dissensionis et litigii materiam a multis retroactis temporibus in civitate nostra hucusque proch dolor durantes perpassi sumus, bona, libera, gratuita et spontanea voluntate inducti, desiderantes nobis et civitati nostre de cetero, que etiam hactenus ob premissam discordiam natura fuit quasi vidua nominis et honoris, de futuris malis contingentibus altissimi adiutorio precavere, omnem controversiam, dissensionem, discordiam atque litem et omnem fermentum malivolencie abstersimus. et removimus a nobis, tenore presentis scripti nos universaliter singulos et singulariter universos in vere sinceritatis fidem, amorem et amicitiam inviolabilem et perpetuam includentes. Itaque primum compromittimus omni malo ingenio et dolo exclusis bona fide serenissimo domino nostro Io., Boemie et Polonie inclito regi ac Luemburgensi comiti, ac serenissime domine nostre domine Elyzabet, Boemie et Polonie regine, consorti sue, et ipsorum heredibus astare et adherere, consulere et auxiliari fideliter, sicut vero et legitimo

nostro domino atque regi. Compromittimus etiam vera fide nos et quemlibet nostrum semper et ubique in iure et iusticia etiam in persolvenda nobis credita pecunia fovere, adiuvare et promovere nec alicuius ex nobis dampnum seu detrimentum rerum aut honoris aliquo modo procurare. Quod si forte, quod absit, aliquis ex nobis civitati nostre predictae aut alicui nostrum dampnum quodcumque indebitum procurare presumpserit et de hoc per certam facti noticiam fuerit convictus, compromittimus omnes et singuli data fide talem violatorem fidei et amicitiae bannire et proscribere de civitateque nostra predicta eicere, nunquam in concivem nobis et in civitatem nostram predictam perpetuo recepturi. Ut igitur omnia premissa robor obtineant firmitatis, presentes litteras scribi fecimus et sigilli civitatis nostre predictae ac sigillorum nostrorum appensionibus consignari. — Actum et datum.

14. Forma recepcionis compromissi in causa.

B. IIII.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos U., divina providencia Pragensis ecclesie prepositus, iudex a sede apostolica delegatus in causa, que vertebatur inter priorem et conventum fratrum ordinis istorum de Clatovia parte ex una et nobilem virum D. de Boemia ex altera recepimus compromissum seu arbitrium in nos factum super requisicione hereditarie seu patrimonialis legitime porcionis fratris N. germani predicti domini D., professi in ordine dictorum fratrum prioris et conventus, qui frater N. se et sua ordini tradidit eorundem et ius omne successione seu cuiuscunque proprietatis aut possessionis in priorem et conventum transtulit memoratos et super qua petitione hereditarie porcionis, quam predicti prior et conventus sibi competere dicebant et in iure coram nobis petere nitebantur, sic partes amicabiliter convenerunt et pactum sive compositionem seu amicabilem convencionem in nostri arbitrii sententiam benivole et spontanee transtulerunt, ipsum compromissum coram nobis firmiter observare manuali promissione et iuramento proprio firmaverunt. Postulantes ipsam convencionem seu amicabilem compositionem per nos confirmari tam auctoritate arbitraria quam etiam a sede apostolica nobis delegata. Huiusmodi autem amicabilis compositio sive paccio fuit in hunc modum coram nobis nostra nichilominus interveniente auctoritate et assensu inter partes solempniter celebrata. Videlicet ut prefatus dominus D. fratri N., predicto germano suo, duas marcas puri argenti in pondere pragensi in octava b. Petri apostoli nunc proximo et alias duas in festo Omnium Sanctorum proxime venturo debeat assignare. Singulis autem annis deinceps temporibus vite fratris N. sepedicti domini V. seu heredes ipsius, si ipsum decedere contingerit, II marcas puri argenti in festo Omnium Sanctorum eidem fratri N. dare tenebuntur contradiccione aliqua non obstante. Predictus N. et dominus D. pene excommunicationis sentencie se subiecit, quam nos in ipsum tulimus et proferimus in hiis scriptis a sede nobis apostolica auctoritate, ut premissis, delegata, qua ipsam sententiam incidat ex nunc prout ex tunc, si in prefatis terminis dictam pecuniam duarum marcarum argenti, videlicet in octava proxime nunc instanti b. Petri ap. et alias duas marcas in festo proximo Omnium Sanctorum et deinceps duas singulis annis in festo Omnium Sanctorum unquam solvere preteriret fratri N. sepius memorato sui prioris nomine et conventus. Preterea dictus dominus D. pene pecuniarie X marcarum se subiecit nobis et eidem fratri N. per eundem dominum D. solvendarum, si pactum et promissum in solucione dicte pecunie et terminis non



impleret seu non observaret formam in omnibus pretaxatam actione et questione predicta super petitione porcionis superius dicte apud priorem et conventum prefatos de Clatovia in statu pristino remanente et auctoritate et iurisdictione a sede nobis apostolica delegata penes nos et successores nostros, prepositos Pragenses, nihilominus conservata.

#### 15. Forma fideiussorie obligacionis.

B. V.

Nos Henricus et Conradus, iurati cives Pragenses, recognoscimus discretos ac honestos viros Wlf. iudicem nostrum Pragensem, Sypotonem dictum [de] Wenesaw et Bertoldum, eiusdem Sypotonis filium, nostros concives, apud nobilem virum dominum Henricum de Lypa pro CCC s. gr. den. prag. esse fideiussorie obligatos pro eo, quod Dytlinus pistor, civis Pragensis, per hanc cautionem fideiussoriam a captivitate redemptus, possit de suis factis medio tempore ordinare, ubi quidem expressum fuit, si dictus D. infra hinc et mediam quadragesimam nunc venturam proxime non procurata sibi libertate se captivitati restitueret in media quadragesima prenominata, quod tunc Wolffinus iudex, Sypoto et B. prefati non tenebuntur aliquam pecuniam d. Henrico prefato exsolvere et etiam a cautione fideiussoria absolventur. Item si D. prefatus quocumque casu interveniente sibi de libertate non providebit infra hinc et festum b. G. postea statim sequentis, aut si captivitati [se] non presentaverit in media quadragesima, ut est dictum, ex tunc Wlf., Sypoto et B. prefati in festo Penthecostes deinde statim sequente d. H(enrico) de Lypa prefato CCC s. gr. predictas dare et exsolvere sunt astricti. Pro qua summa pecunie D. predictus domum suam in civitate nostra Pragensi sitam et allodium suum cum pecoribus et pecudibus in eodem allodio existentibus et cum pertinentiis universis ad idem allodium spectantibus W., Sypotoni et B. prefatis nomine pignoris obligavit pro eo, quod hii predictam pecuniam a Iudeis vel a christianis ad dampnum ipsius D. super domum suam predictam et super allodium suum cum pertinentiis predictis recipere debeant atque possint. Si vero ipsam pecuniam recipere ad dampnum non possent, ex nunc uxor et heredes D. predicti ipsam domum et dictum allodium exire tenentur et debent, W. quoque Sypoto et B. prefati se de dicta domo et allodio cum pertinentiis predictis intronitantes habebunt potestatem plenariam ea vendendi et sibi satisfaciendi de pecunia memorata. In cuius rei oc.

#### 16. Protestacio.

B. VI.

Nos Io. Iacobi Wolfini iudex, Albertus Stuko magister civium et Iacobus Frenclini, cives iurati civitatis Pragensis, recognoscimus protestantes, quod constituti coram nobis et aliis iuratis Pragensis civitatis in maniloquio consentibus domino Conrado, rectore ecclesie s. M. in Podol, et Myloslao tympanario commanente nobis Prage, idem M. promisit et ad hoc se et successores suos, domus sue, quam inhabitat, in ipsa civitate Pragensi ante ecclesiam ss. Philippi et Jacobi site possessores, obligavit spontanea voluntate, quod omnia iura civitatis Pragensis in collectis, exactionibus, contribucionibus, vigiliis et serviciis quibuscumque de dimidia marca census annui, quam prefato domino Conrado, XXXII gr. prag. pro ipsa dimidia marca numerandos et dandos, vendidit et super domo sua et area domus eiusdem assignavit et appropriavit in publico et contestato iudicio presentibus iudice et iuratis debeat seu debeant per suam propriam pecuniam et per

suos labores et curam absque omni pecunia et cura prefati d. Conradi super oportuno tempore expedire. In cuius protestacionis perpetuam memoriam presentes litteras sigillis nostris fecimus communiri ad petitionem parcium predictarum. Datum et actum oc.

#### 17. Testamentum.

B. VII.

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem MCCC etc. die decimo mensis — ego — dictus Payer, civis Pragensis, licet infirmus corpore, sanus tamen mente et bone rationis compos testamentum meum feci et condidi de omnibus meis bonis a domino mihi collatis presentibus et ad hoc vocatis et rogatis discretis viris Io. Wolfini et R. Theod., civibus Prag., in hunc modum, eligens et constituens pro executoribus huius testamenti mei ipsum Henricum Fridlinum, filium Io. prefati, videlicet quod idem Henricus et Fridlinus vel alter eorum cum alio fidedigno quocumque, si alter ipsorum non adesset, tunc fides heredum et bonorum meorum omnium esse debeant et principaliter debita, que contraxi, bonis meis mobilibus, scilicet pannis et aliis rebus, vel etiam immobilibus, si necesse fuerit, procurent persolvere debitores meos sollicito moneant ad persolvendum pro me pecuniam, facturi de hoc iuxta fidem suam quidquid viderint oportunitum. Posterea eligo mihi in tali monasterio sepulturam et dispono et lego ad ipsum monasterium tot marcas census singulis annis solvendas et dandas de domo habitacionis mee sita in platea s. Nycolai in ipsa civitate Pragensi, salvis tamen iuribus civitatis predictae, pro anime mee remedio et aliam marcam pro anima quondam Alberti, socii mei bone memorie, ita quod si ante diem s. — decessero, domina K., uxor mea, cum pueris eius et Nycolaus, filius meus ex alia matre natus, dictum meam predictam in ipso festo sancti — exire et evacuare tenebuntur, proinde quod ipsi executores seu tutores domum ipsam pro certo censu locent, de quo censu una marca vel sexagena tunc in festo sancti — et alia marca vel sexagena, prout predixi, pro animabus solvatur et detur et sic deinceps ad monasterium antedictum, donec per heredes meos tantum masculum vel per emptorem ipsius domus, quicumque fuerit, una marca pro X s. gr. vel ambe marce pro XX s. dictorum grossorum a dicto monasterio fuerint liberate. Similiter fieri debet, si ante diem sancti — decessero de hoc mundo. Item lego K. virgini, filie mee, ad s. Laurentium in monasterio degenti ordinis fratrum predicatorum Prage, unam marcam de domo mea predicta singulis annis in duobus terminis predictis, quoad vixerit, obtinendam, salvis etiam iuribus civitatis Pragensis. Item duas marcas sive sexagenas gr. census de domo predicta lego filio meo Nycolao obtinendas et dandas per tutores predictos, si eis obdierit non contrahens matrimonium infra decennium a die obitus mei, prout ad huc sponte [se] submisit, quod [si] supra dicta K. fratri suo premoritur, tunc marca census ei deputata debet ipsi H. solvi et dari, si bene rexerit vitam suam, alioquin hic census trium marcarum, totus vel pars eius, ad dominam K. et pueros eius eo modo, quo predixi, iure proprio devolvatur. De statu autem ipsius K. dispono, quod quamdiu vidua permanserit tutorum predictorum sequens consilium, tam diu pueros eius in cura de bonis per me relictis servare debet, tradens aliquid ex ipsis religioni vel de ipsorum tutorum consilio et assensu, perceptura nihilominus in subsidium victus sui cum pueris ipsis, si quid ultra censum V s. de domo predicta poterit derivari. Si autem predicta K. aliter statum suum absque consilio tutorum predictorum mutaverit, ex cura puerorum

eius penitus absolvatur receptura de porcione eam contingente in villa Unhost de quibuscumque rebus tantum X s. gr. Si autem ipsa K. iuxta consilium ipsorum tutorum mutaverit statum eius, tutores ipsi, si possent, debent ei melius providere. Nycolaus quoque, filius meus, si mandatum meum atque premissa mea servaverit tutorumque predictorum servabit consilia, ipse debet curam puerorum predictorum habere, prout ipsis tutoribus placebit, alias tutores ipsi de persona alia ad hoc providere tenebuntur. Preterea lego, ordino et dispono, quod [si] supra dicta K., vidua permansens, decesserit et ipse Nycolaus bene se regens infra decennium predictum similiter decesserit matrimonio non contracto, aut si soror sua, predicta virgo, non ante eum, sed post eum moreretur, tunc porcio cuiuslibet defuncti ad pueros meos superstitibus equaliter devolvatur et eo modo de porcione cuiuslibet pueri mei defuncti fieri debet, quod porcio sua ad pueros superstitibus communiter devolvatur. Insuper lego et dispono, si enim filius meus predictus clericari aut monachari decreverit de ipsorum tutorum consilio, hoc facere tenebitur et tenetur hac prerogativa gaudens pre ceteris meis heredibus, quod domum meam predictam pro se et pro usibus suis a censu duarum marcarum predicto a monasterio prefato Ossek redimere et exsolvi possit, si tante fuerit facultatis. Testes huius mee testamentarie condicionis sunt discreti et fidedigni viri domini H. et N., iurati cives civitatis Pragensis. In quorum omnium memoriam firmiorem presentes litteras scribi et sigillo civium Pragensium et civitatis Pragensis predictae pecii roborari.

#### 18. Forma recognicionis presentatoria.

B. VIII.

Nos F. oc recognoscimus, quod discreti viri Io. Wolfini et C. de Lapide presentaverunt Io., filium Henrici dicti Yanowycz et cum VIII s. gr. prag. Pertoldo dicto Klupel, ut idem Pertoldus eundem servet victum et amicum sibi medio tempore ministrando. Et quodcumque voluerit, debet ipsum Io. cum prescripta pecunia representare Io. vel Conrado predictis. In cuius protestacionis memoriam oc.

#### 19. Forma vendicionis curie vel aliorum bonorum hereditiorum.

B. IX.

Nos Bo. iudex, Ia. filius etc. iurati cives civitatis Pragensis, recognoscimus tenore presencium protestantes, quod constitutus coram nobis in pleno consilio Smylo, filius C. (?) de Walhendorf, noster concivis, fassus est suo et successorum necnon domine K., conthoralis sue, nomine maturo et deliberato I., Ia., H. Theod., fratris Gopoldi, nec non aliorum omnium suorum amicorum communicato consilio unam curiam sitam versus C. seu — lanos agrorum, pro quolibet LX strichones pragensis mensura computando, cum omnibus eorum pertinentiis, videlicet agris cultis et incultis, silvis, rubetis, pratis, pascuibus, acupacionibus, venacionibus, aquis aquorumve decursibus, viis, inviis, montibus, collibus, vallibus ac omnibus et singulis eorum iuribus, que ad dictos agros pertinere dinoscuntur, discretis viris H. P., etiam concivibus nostris, et aliis eorum collegis, heredibus et successoribus eorum rite et racionabiliter iure emphiteosi seu ad jus theutunicum seu condicionibus infrascriptam hereditatem vendidisse. Ipsi namque homines predicti, heredes et eorum successores dictam hereditatem possidebunt in modum: Primo enim et ante omnia debet Smyloni, heredibus et successoribus suis dari de quolibet laneo pre-

dictorum nomine aree, que anleyt vulgariter dicitur, XXI s. gr. den. prag. Item III marcas graves, sexaginta III gr. pro qualibet marca computati, grossorum predictorum per medium in festo b. — venturo proxime cum VI pullis et LI ovorum sexagenis et per medium in festo b. — tunc immediate secuturo cum pullis et ovis totidem de quolibet laneo in omnem eventum annis singulis ex nunc in antea successuris Smyloni, heredibus et successoribus suis antedictis nomine veri census solvi tenebuntur. Et idem census Prage aut in Walhendorf, villa prius tacta, debet et non alias expedire. Quodcumque autem census iam expensus in aliquo predictorum terminorum non fuerit per eorum aliquem expeditus, tunc postea elapsis III or diebus continuis XVI gr. pene nomine creverit super ipsum et si tunc idem census cum pena XVI gr. autedicta nondum fuerit persolutus, tunc ipsi Smyloni, heredibus suis licebit eum vel eos pro tanta quantitate pecunie impignorare contradicione qualibet quiescente. Sique pignus seu pignora sufficiencia invenire pro huiusmodi census nequiverit, tunc post elapsum XIII dierum, quociescunque revolventur, semper XVI gr. nomine pene subcrescent super hereditate illius vel illorum computandi tam diu, quousque antedicta hereditas exsolvetur aut ad Smylonem, heredes et successores suos se exsolvens devolvatur. Postquam autem homines, heredes et successores eorum antedicti censum nominatum debite expediverint in terminis supradictis, tunc ad nulla alia debent astringi sed pocius ab omnibus dacionibus, contribucionibus, donacionibus, exactionibus, subsidiis et aliis quibuscumque oppressionibus, gravaminibus et pressuris, cuiuscumque generis existant, penitus debent esse absoluti utentes dictis hereditatibus sub terra et super terram, prout eis melius videbitur expedire, poterunt quoque dictas hereditates commutare, obligare, vendere, donare, alienare, si necesse fuerit, homini cum equali fide digno sub condicionibus et clausulis iam expressis. Est etiam expressum, quod ipsi homines, heredes et eorum successores iudicio eiusdem ville debent subiacere, in ibi iura sua in dicta hereditate vel de iuramento (?) et non alibi repetentes. Ipse quoque Smylo, heredes aut sui successores, iudicem fide dignum sibi et hominibus competentem in prenominata villa locare tenebuntur, qui iudicio, quocies fuerit necesse, iuxta consuetudinem civitatis nostre Pragensis, residebit, faciens unicuique iusticiam expeditam. Et quodcumque aliqua causa vel casus difficilis, de cuius viribus non poterit cognosci, occurrerit, tunc ad iura nostre civitatis prelibate recurrere tenebuntur. Si quoque aliquis hominum pretactorum affirmaret in aliquo per iudicem aut scabinos iniuriam suboriri nec posse consequi iusticie complementum etiam vocato domino, qui dumtaxat ipsemet quartus ad iudicium venire debet, coram eo eandem causam secundum iuris formam agitare et ex tunc altera pars, que de iniuria fuerit convicta domino ville expensas pro eodem negotio factas solvere debet, nihilominus pene iuxta civitatis nostre prescripte exigenciam pro huiusmodi iniuria subiacere. Item est adiectum, si Smylonem, heredes et successores suos in prenominata villa contingerit residere, solus non poterit esse iudex, sed unum fidedignum hominem et suis hominibus, ut predictum est, competentem ibidem iudicem tenebitur collocare. Preterea est interiectum, si aliquis de familia Smylonis, heredes et successorum suorum erga quempiam hominum predictorum excesserit, idem coram iudice ville tenebitur reddere ad obiecta. Item nec Smylo nec homines prenarrati habere debent campum seu pasua pro cabellis. Ceterum sepefati homines habent hereditatem liberam in mensura LX strichonum in communitate pro pasuis et etiam rup-

tura seu fraccione lapidum, si fuerit oportunum. Et quod Smylo, heredes et successores sui in premissa villa habent liberum iudicium, tabernam, fabrum, piscatorem et carnificem. Idcirco nullus hominum pretactorum tabernam vel aliquid operarium conventum tacitum vel expressum habere vel tenere poterit, nisi hoc cum prenominate censu aut ex licencia Smylonis, heredum seu successorum haberet proferre, parare et conserva[re?]. Datum oc.

#### 20. Forma vendicionis ville.

B. X.

Nos iudex et iurati cives civitatis Pragensis recognoscimus, quod honorabilis et discretus vir seu religiosus dominus et frater B. de tali loco, ordinis fratrum s. Marie domus Theutunicalis vel Theutunice provincialis commendator per Boemiam et Moraviam, vendidit de consilio et assensu omnium fratrum suorum villam et hereditatem suam et ipsorum fratrum liberam dictam vulgariter — cum pratis, ortis et hominibus censualibus ac aliis pertinentiis ad ipsam villam et hereditatem spectantibus universis discreto viro — dicto — ementi et recipienti rite et racionabiliter pro tot sexagenis gr. den. prag. per eundem — et heredes suos, heredumque suorum successores in perpetuum possidendam, eo iure, quo ipse dominus commendator et fratres sui ordinis predicti ipsam villam et hereditatem cum pertinentiis possidebant. Eo tamen patenter expresso, quod ipse — et heredes et successores sui ex nunc singulis annis X s. den. gr. predictorum nomine census, videlicet V sexag. in festo sancti — et alias V sexag. in festo sancti — tunc proxime secuturo, fratribus domus s. Benedicti Prage solvere et dare debeant in omnem eventum, contradicione qualibet proculmota. Quandoque autem in aliquo terminorum ipsorum debitum censum non reddiderint, tunc fratres predicti habent et habere debent plenam licenciam et liberam potestatem prefatum — vel heredes aut successores suos impignorandi in villa et hereditate predicta pro censu in parte vel in toto non soluto, prout etiam ipse —, heredes et successores sui villam et hereditatem predictam vendere et obligare vel aliud de ipsa et cum ipsa villa et hereditate cum pertinentiis facere, quidquid eis expediens videbitur, dummodo fratribus domus predictae census X s. predictus non depercat. Si forte villa et hereditas predicta medio tempore per incendium vel spoliatio aut aliquocunque modo fuerit desolata vel eciam devastata —. In cuius oc.

21. Ordinatio testamenti, quando quis deputat aliquem censum pro remedio anime sue.

C. I.

Nos Budko pannicida oc recognoscimus tenore presencium et ad publicam tam presenciam, quam futurorum deferimus noconem, quod quia olim d. Blasius, rector ecclesie s. Bernardi (!) sive s. Leonardi Prage, moriendo disposuit et in suo testamento reliquit, quod pro pecunia sua propria per eum in libro et aliis rebus relicta census VIII marc. per testamentarios suos et per nos sit emendus et pro remedio anime sue convertendus. Ipsi testamentarii una nobiscum VIII marcarum censum, sexaginta den. gr. pr. pro qualibet marca numerandos et dandos, apud discretum virum H. dictum Glacz, concivem nostrum, pro LXXXI s. gr. predictorum rite et racionabiliter emerunt, prout in aliis litteris, quas super eo — est expressum Ita videlicet, quod nos debeamus et successores nostri debeant V marcas census huiusmodi discreto et idoneo sacerdote per — plebesianos predictae ecclesie s. Leonardi ex nunc singulis annis in festo sancti — dare et solvere,

qui cottidie unam missam pro remedio anime d. Blasii predicti debeat celebrare. Unde promittimus bona fide hunc censum V marcarum domino Io. sacerdote, presencium ostensuri, qui ad hoc per plebesianos predictos est electus et constitutus, solvere et dare singulis annis in terminis memoratis. Promittimus eciam fide bona III marcas census residuas ex nunc singulis annis in pannum elemosyne inter pauperes erogare et distribuere, prout ipse d. Blasius eciam disposuit pro sue anime remedio faciendum. In cuius rei oc.

22. Forma vendicionis et resignacionis domus in iudicio.

C. II.

Nos recognoscimus, quod Frenclinus et Jaklinus, filii quondam Frenclini Longi et Heroldi in ipsa civitate Pragensi, IIIor marcas census annui, sexaginta den. gr. pr. pro qualibet marca computando, resignavit in publico iudicio coram nobis discreto viro — concivi, nostro amico et executori testamenti Frenclini prefati, ementibus et recipientibus (!) pro tot s. gr. ita videlicet, quod idem Frenclinus et successores sui II marcas graves in festo sancti — et alias II nunc a festo sancti — ex nunc singulis annis solvere et dare debeant in omnem eventum concivibus nostris prenominate per eos pro remedio Frenclini anime anno quolibet convertendas, salvis tamen iuribus civitatis Pragensis predictae, que de predicto censu ipsi civitati debentur. Eo patenter expresso, quod si alias sive in alia domo vel hereditate census annuus III marcarum per Frenclinum predictum fuerit comparatus et emptus pro anime remedio Frenclini Bavari sepefati solvendus et dandus prenominate concivibus nostris, prout prediximus, annis singulis perpetuo in terminis memoratis, tunc domus predicta ab iure census annui predicti debet libera de cetero remanere. In cuius d.

23. Alia forma sub tenore eodem.

C. III.

Nos . . dictus Roll iudex — recognoscimus, quod d. Klara, relicta Francisci quondam Heroldi, iudicis Pragensis, et Io. et Pe. filii, heredes legitimi eorumdem, vendiderunt sponte de assensu et voluntate amicorum suorum domum suam, que fuit olim Francisci predicti, cum area et tribus domunculis adiacentibus et aliis pertinentiis ad ipsam domum et aream spectantibus universis, sitam in acie inter domos Heinlini dicti Negel et Ny. in ipsa civitate Pragensi et resignaverunt in publico iudicio coram nobis discreto viro Bohunkoni, notario dicto de Dobra, genero et sororio ipsorum, ementi et recipienti pro se et heredibus suis rite et racionabiliter pro C et L s. gr. prag. den. per eundem Bohunkonem habendam et iure proprio et hereditario libere possidendam. Fassi sunt quoque d. Klara, Io. et Pe. prefati se pagatos et expeditos esse omnino et plene de summa pecunie, que eis per ipsum Bohunkonem pro ipsa domo et eius pertinentiis predictis omnibus et singulis — agendi et faciendi tamquam de rebus suis et hereditate propria de cetero quidquid sibi expediens videbitur et placuerit. Quia ipse B. extunc est et fecit plene cum eadem domo et eius pertinentiis universis trina proclamacione facta in iudicio per sex septimanarum spacium continuum, quod de iure pragensi fuerat predicto faciendum, ipsi eciam d. K., Io. et Pe. promiserunt domum predictam cum domunculis et pertinentiis omnibus singulis ad eam spectantibus libertate B. prefato ac ab accione et impetitione qualibet disbrigare, prout iuris est et fieri est consuetum. Et quia percepimus, quod quibusdam litteris pro domo predicta et eius perti-

nenciis prius datis, ideo si ita est, pro maiori cautela vendicionis et empcionis huiusmodi per predictas personas dicimus et summando pronunciamus tenore presencium, quod [si] littere sub quacunque forma et sub quocunque vel quibuscunque sigillo vel sigillis invente fuerint et ostense coram nobis vel alias ubicunque, salvis litteris presentibus dumtaxat, littere tales casse et vane esse debeant et nullius vigoris decetero seu valoris. Insuper quicunque litteras presentes vice et nomine B. prefati habuerit, idem debet esse potestatis eiusdem, sicut ipse B. circa domum et aream predictam cum pertinentiis et circa omnia et singula prenominate. In cuius rei oc.

24. Forma promissionis ex rogatu.

C. IIII.

Nicolaus Albus et . . iurati civitatis Pragensis, recognoscimus, quod H. Hovel (?) dictus, civis Pragensis, et K., uxor sua, fassi sunt publice et manifeste coram nobis, quod Io. notarius civitatis predictae, gener et sororius ipsorum, rogatus per eos promisit una cum ipso H., sororio suo, Conrado (?) X s. gr. pr. den. pro IIIor pannis, quos ipse H. predictus emit pro suis creditoribus et recepit. Hanc si quidem summam pecunie oc.

25. Obligacio partis ipsius domus vel aliarum rerum.

C. V.

Recognoscimus, nobis hoc constare, quod F. filius C. quondam molendinarii, obligavit quartam partem domus, que cum iure hereditario contingebant, sitam apud portam s. Martini Prage, Henzolino institori, sororio suo, loco pignoris pro VII s. gr. pr., in quibus ei dinoscitur debitorie se teneri. Ita quod idem Henzlinus potest ipsam quartam partem domus vendere vel obligare pro sua predicta pecunia obtinenda. Insuper quisquis presens scriptum habuerit, idem debet per ipsam partem quartam domus predictam pecuniam obtinere.

26. Articulus de censu non soluto.

C. VI.

Quandoque autem in aliquo terminorum ipsorum et infra VIII dies continuos post terminum debitum censum non reddiderint, tunc debent fertonem dictorum gr., XV gr., nomine pene dare. Si autem aliis VIII diebus debitum censum [non solverint], tunc iterato alium fertonem grossorum predictorum nomine pene solvere tenebuntur. Pro hac pena pecuniaria et pro censu non soluto ipse — vel successores sui die quindecima post terminum pignus recipiendi in curia et domo predicta plenam habet et liberam potestatem. Quod si pignus idem vel ibidem pro ipsa pena et pro censu predicto inveniri et haberi non possit, ex tunc ipse — vel heredes aut successores sui se de ipsa curia et domo et area libere intromittere poterint habituri plenam licenciam et liberam potestatem de ipsa domo et cum ipsa curia et pertinentiis faciendi et agendi tamquam de rebus suis et hereditate propria decetero, quidquid ipsorum placuerit voluntati. In cuius rei oc.

27. C. VIIa.

Noverint universi presencium auditores, quod ego P., civis Pragensis, conveni et suscepi ab honorabili viro d. F., Wysegradensis ecclesie canonico, curiam suam et III laneos cum IX iugeribus agrorum, quorum laneorum quilibet LXXII continet iugera, in villa . . cum pertinentiis ad ipsum d. F. racione obediencie spectantes et a Kathedra s. Petri per IIIor annorum spacium continuum pro annuo censu sex marcarum, pro qualibet marca LXVIII

gr. pr. den. computando. Et quia ipsi d. F. XII marcas predictorum grossorum de censu solvendo iam simul et semel dedi, ideo curiam et agros per duorum annorum spacium continuum absque solucione cuiuslibet census deo possidere.

28. Quando aliquis ex tutoribus aliquorum puerorum vendidit de voluntate et assensu amicorum puerorum aliqua bona.

C. VIIb.

Recognoscimus, quod nobilis vir d. H(enricus) de Lyppa, tutor puerorum heredum, videlicet Io. et Anne et Margarethe Conradi, quondam notarii camere regine, vendidit de voluntate et assensu Zophie, uxoris Wolffini de Lapide, sororis eorumdem puerorum, curiam [cum iuribus] hereditatem spectantibus universis et resignavit in publico iudicio coram nobis discreto viro iuveni M. (!) nostris concivibus (!) ementibus et recipientibus pro se et suis heredibus rite et racionabiliter pro ducentis et L s. gr. prag. den. et pro uno stamine panni de Level eidem d. H(enrico) iam numeratis, datis et persolutis ac per eum receptis in parata pecunia, prout ipse dominus H(enricus) fassus est publice coram nobis. Ita quod ipse M. debet ex nunc in antea curiam et hereditatem predictam cum pertinentiis omnibus iure proprio et hereditario in perpetuum possidere facturi (!) de ipsa et cum ipsa curia et hereditate propria de cetero, quidquid ipsis expediens videbitur et placuerit, impedimento quolibet non obstante. In cuius rei oc.

29. Forma ordinacionis seu dispensacionis bonorum.

C. VIII.

Nos F. dictus R. iudex et Conradus — iurati etc. recognoscimus, quod H. dictus —, concivis noster, sanus mente et corpore de bonis suis mobilibus et immobilibus que habet vel habere possit in futurum, sic disposuit ordinando, quod omnes heredes seu pueri sui legitimi, qui nunc sunt in cura, quos ipse cum priori uxore sua M. et K., moderna uxore sua, genuit vel generabit et eciam ipsa K., quilibet eorum, habere debet porcionem et partem bonorum ipsorum debitam et equalem Ita quod ipsa K. tantam potestatem habere debet pro se ipsa, quantum aliquis puerorum predictorum. Et hoc post mortem predicti H. Si ipse H. prius quam K. prefata moriretur, vel si ipse H. K., conthorali sue predictae, plus de bonis suis, quam uni puerorum suorum predictorum ex speciali gracia dare voluerit, hoc in sua consistit voluntate. Si autem ipsa K., prius quam H. moriretur, tunc quilibet puerorum eius tantam partem de bonis predictis obtinere debet pro se, quantum aliquis puerorum cum priori uxore sua predicta generatorum. Item si ipse H. premoriretur, tunc si ipsa K. cum pueris eius cum aliis prioris uxoris eiusdem H. cum porcione et parte bonorum ipsos contingente se dividere et separare vellent, hoc faciet omni nocumine proculmota. In cuius rei etc.

30. Forma exsolucionis domorum vel alterius rei.

C. IX.

Nos Nycolaus iudex et H., iurati cives, recognoscimus, quod discretus vir H. dictus Clementeri concivis noster emit et exsolvit rite et racionabiliter apud Seidlinum cancellarium super domum suam et aream, quam possidet et inhabitat, sitam ex opposito contra domum Nycolai dicti Pflug aurifabri in acie et super alias duas domos et areas eidem domui contigue assitas in ipsa civitate Pragensi salvo tamen censu annuo Alexii Wolframii, eciam concivis

nostri, quem ipse Alexius prius ipso Ulrico super domorum predictarum [substantia] habuit et habere debet, II marcas census annui, LXIII den. pro qualibet marca numerandos, pro quadam certa quantitate pecunie sub hac forma, videlicet quod idem Seidlinus et heredes et successores sui unam marcam gr. in festo sancti — et aliam marcam gr. in festo sancti — tam anno presenti, quam futuro, annis singulis perpetuo de domibus et areis ipsis prefato H. dare debeant in omnem eventum et solvere teneantur. Et si moneta dictorum denariorum seu grossorum deperierit, tunc duas marcas argenti puri ponderis pragensis solvere tenebuntur. Quocumque autem in aliquo terminorum infra LXIII dies continuos post terminum debitum censum non persolverint, tunc debet per ipsum H. pro censu non persoluto et pro VIII gr. predictis vel  $\frac{1}{2}$  fertone argenti nomine pene in domibus predictis impignorare, sicut fieri est consuetum. Provisum est et eiam expressum, quod quicumque presens instrumentum sive litteras presentes vice et nomine H. sepefati habuerit et monstraverit, eidem solvi et dari debet per ipsum Seydlinum, et eo non existente, per heredes et successores suos census predictus singulis annis perpetuo in terminis antedictis. In cuius rei oc.

### 31. Forma locacionis alterius ungelti.

C. X.

Nos. F. ceterique iurati oc. recognoscimus, quod nos unanimitur ungeltem mol. Sstyechoni a die Nativitatis s. Marie V. iam preterito, per unius anni spacium tantum, pro XX s. gr. pr. locavimus obtinendum. De qua summa pecunie tot sexagenas gr. in parata pecunia recepimus pro solvendis debitis civitatis. Item tot et tot s. gr. residuas ipse Sstyecho finito huius locacionis termino nobis aut iuratis, qui pro tempore fuerint, presentabit. Cui promittimus, si forte per d. regem vel alio quocumque modo ipso ungelto sub anno locacionis huiusmodi privaretur, quod quidquid tunc de sua pecunia non collegisset nobis data, hoc iurati, [qui] pro tempore fuerint, tenentur et debent ipsi S. supplere et refundere contradicione qualibet proculmota. In cuius rei testimonium etc.

### 32. Forma compositionis litis.

D. I.

Recognoscimus, quod constituta coram nobis Elyzabeth, soror Rudlini, bone memorie, confessa est, omnem controversiam sive litem, que inter eam pro bonis relictis per ipsum R[udlinum], fratrem eius, ex una et Margaretham, sororem ipsius E., ex parte altera vertebrat, complanatam totaliter et sopitam. Item quod eadem Elyzabeth promisit pro se, pro matre, pro sorore et pro amicis eius proximis coram nobis nullam querellam, actionem, impetitionem seu repetitionem pro bonis predicti R[udlini] movere de cetero vel facere per aliquam formam iuris. Verum predicta M., ipsius K. ava, debet esse eiusdem pueri et bonorum omnium mobilium et immobilium pro ipso puero fidelissimo conservatrix, nam ipse puer una cum bonis suis omnibus per sepefatum R[udlinum], patrem suum, sibi relictis predictae M. et ipsius fidei et amicitie est commissus. In cuius rei oc.

### 33. Forma locacionis aree.

D. II.

Recognoscimus, quod providus vir P., concivis noster, suo et heredum suorum nomine locavit in omnem eventum aream suam domui Wolfini carnificis adiacentem in civitate nostra Pragensi discreto viro H. dicto — et Ely-

[zabeth], uxori sue, et suis heredibus habendam et possidendam per eos sub annui census onere et condicionibus annotatis, videlicet quod idem H., uxor et heredes sui, eidem P. vel suis heredibus singulis annis in festo s. — III fertones gr. den. prag. dare et exsolvere debeant, III grossos pro lothone quolibet numerandó, aut III fertones puri argenti pragensis ponderis. Si moneta dictorum grossorum fuerit in posterum immutata, item dominus H., uxor vel heredes sui quolibet anno in festo sancti — III bonas perdices et in festo Nativitatis domini unum bonum leporem presente nomine dicto P. vel suis heredibus dare debent. Que solucio census aut presentiarum exhibicio si dilatata fuerit ad VIII dies post terminos prenomatos, tunc ipse P. vel heredes sui dictum H., ipsam Elyz[abeth] et heredes suos impignerare pro censu duplicato aut pro presentis duplicatis habent plenariam et liberam potestatem. Est eiam coram nobis patenter expressum: si H.; uxor vel heredes sui prefati domum suam dictam in eadem area constructam vendere voluerint, vendicionem huiusmodi ipsi P. vel suis heredibus ante alios exhibere tenentur et dare pro eodem precio, sicut alteri essent daturi. Tandem quod si P. vel heredes sui emere noluerint, alio vendet sub census et presentiarum onere supradicto. In cuius rei oc.

### 34. Privilegium donacionis sub aliquibus condicionibus.

D. III.

In nomine domini amen. Multis precavetur incommodis, cum negocia, secundum quod acta fuerunt, testibus et litterarum memorie commendantur. Hinc est, quod nos, frater B., divina miseratione abbas, totusque monasterii Brevnoviensis conventus notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos discreto viro N. balneatori de Melnyk, stubam nostram balnearem, que fuit olim Sypona, apud aquam Viltavam sitam non remote ab alveo filiorum Theodrici cum sartagine seu patella vendidimus pro VI marcis, marcam quamlibet LXIII gr. computando, quam pecuniam ab ipso N. nos recepisse fatemur. Eidem eiam N. aream sive fundum cum suis heredibus tali pacto locavimus: quod idem N. deposito balneo veteri locata nova stuba balneari ac edificis, et hoc suis sumptibus propriis et laboribus, constructis VI marcas gr. pr. et XII. capones bene puleros et impingwatos in festibus sanctorum — et — equaliter in duas partes divisas presentare nobis in omnem eventum tenebuntur vel tenebitur annuatim. Ad hoc N. predictus et heredes sui nos et fratres nostros et eiam familiam nostram infra quindenam quamlibet tenebitur radere, sanguinem eiam nobis et fratribus, quocienscunque fuerit oportunum, minuere tenebuntur sive tenebitur. Ordinavimus cum N. iam dicto, quod singulis ebdomadis apta die XII pauperes in dicto balneo ob remedium animarum fundatorum, benefactorum et familiarum nostrarum per cum balneantur, radentur et mundentur et caritate tractentur, ut per hoc et per alia karitatis et pietatis opera quidquid ex contagione labi contraxerit, per ipsum largicionis nostre beneficium abluatur. Quia dubii sunt rerum eventus, provisum est, quod si balneum iam dictum per gveram, communem negligenciam vel quocumque casu alio fortuitus contingeret ignis incendio concremari, nihilominus non obstantibus hiis et aliis fortuitis casibus quibuscunque N. et sui heredes censum et alia iura sine diminucione qualibet nobis nihilominus solvere tenebuntur. Et in quocumque terminorum predictorum idem N. vel heredes predictum censum dare neglexerint, post unam quamque septimanam in una sexag. gr. den. pr. habebuntur pene nomine condempnari. Si

autem in IIIa septimana censum et penas non solverint, recipiendi pignus ab eo vel eis et occupandi eos et res eorum ubicunque fuerint, tam in balneo, quam alias, per nos et nostros nuncios licitum erit nobis. Si vero pignus pro censu et penis a dicto balneo haberi non possit sufficiens, ammovendi dictum N. et successores suos a locacione et iure suo, quod eis competit, intromittendi nos de balneo et sartagine et aliis utensilibus ac ea sibi solvendi de nostra pecunia, quod residuum fuerit ad taxandum duorum proborum virorum ex parte utraque electorum, et tandem locandi alteri ipsum balneum plenam nobis et nostris successoribus reservavimus potestatem. Item ut nihil de contingentibus obmittatur, decretum est a parte utraque, si cremato balneo quocumque casu adverso, quod absit, predictus N. aut sui heredes dictum balneum propter inopiam rerum suarum iterato construere non valerent decenter, ex tunc nos aream et fundum alteri balneatori locare poterimus licite, dicti N., heredum et successorum contradicione qualibet proculmota. Preterea [ad] eliminandam dissensionis materiam non immerito est promissum, si enim heredes aut successores sui N. ipsum balneum in posterum alicui vellent vendere vel locare, nobis ante omnino nuncient, quod si nos stubam balnearem ac ipsa edificia redimere nollemus, tunc ipse N. et heredes sui de nostro consensu ipsum balneum salvo fundo et area nostra tali persone locare et vendere potuerunt, que nobis videbitur ydonea et in solucione census et naturalium habilis. Quod si N. aut heredes sui secus fecerint, erit vendicio talis irrita totaliter et inanis. Et quemadmodum ordinationem [a] nobis factam nobis immutare non licet, sic eiam idem N. et heredes sui a predicta ordinatione et a pactis, que voluntarie subiit, non poterit in posterum resilire. Demum eiam ut N. idem et heredes sui de locacione eis facta sint circiores et libencius consumptus suos in constructione balnei inponere non formident, promittimus eis ex certa nostra sciencia, quod eos, quam, diu in solucione census et pactorum seu promissorum suorum stabiles, prompti et obsequiosi nobis et nostro monasterio exstiterint, a iuribus eorum et a locacione non ammonebimus nec per alium quempiam balneatorem supplantari aliquatenus promittimus, sed eos iuribus eorum fovebimus tamquam fideles nostros specialis favoris gracia prosequimur. In cuius rei oc.

### 35. Forma deputationis dotalicii.

D. IIII.

Nos F. oc tenore presencium profitemur, quod contracta matrimoniali copula inter Conradum dictum de Lapide, nostrum concivem, et dominam Margaretham, relictam olyn Nycolai Pirkneri, idem Conradus CCCC s. gr. den. prag. eidem domine M. uxori sue nomine dotalicii deputavit, ipsa quoque domina M[argaretha] eidem C[onrado], marito suo, D sexag. dictorum grossorum viceversa donavit, quas ipse C[onradus] confessus fuit se ab ipsa M[argaretha] recepisse integraliter et habere. Ut autem predicta domina de pecunia dotalicii predicta D s. gr. certa fiat et secura, pro hiis ipse Conradus hereditatem suam Zlechow dictam vulgariter cum omnibus pertinenciis ad eam spectantibus domine M[argarethe] predictae loco pignoris obligavit et has condiciones patenter expressit, quod si eum prius ipsa domina M[argaretha] non relictis ex ea heredibus viventibus mori contingeret, tunc domina M[argaretha] predicta L s. gr. pro se sola habere debet super hereditate et attinenciis predictis ac universis. Ita quod se de dictis bonis post ipsius C[onradi] obitum intromittens tenebit ea per unius anni spacium et diei.

Quam quidem hereditatem heredes dicti C[onradi] vel amici proximi infra predictum tempus, quocumque voluerint, possunt et debent exsolvere, domine M[argarethe] predictae dictam pecuniam assignantes et hac solucione facta hereditas prescripta libera remanebit. Hanc eiam hereditatem cum pertinenciis in eodem valore debet restituere domina predicta heredibus vel amicis ipsius C[onradi], cum eam exsolverint, sicut invenit se intromittendo de ipsa. Si vero heredes et amici predicti C[onradi] ipsam hereditatem non redimerent infra tempus predictum, tunc ipsa domina M[argaretha] dictam hereditatem cum pertinenciis potest et debet vendere pro eo, quod de D s. sibi deputatis pro dotalicio satisfiat. Et si bonis eisdem venditis aliquem pacietur defectum in pecunia memorata, hic defectus Eberlino et Henrico, dicto —, predicti C[onradi] fratribus, est commissus supplendus per eos, sicut eis videbitur expedire. Eiam et alia eorumdem providencie sunt commissa. Item est adhibitum, si dictum C[onradum] prius ipsa domina M[argaretha] relictis ex ea heredibus viventibus obire contingeret, quod tunc eadem domina CCC s. gr. solummodo pro super hereditate predicta habere debet et tenere, quemadmodum est premissum. Preterea si domina M[argaretha] prefata prius ipso C[onrado] decesserit, quod tunc eadem hereditas cum omnibus attinenciis libera debet esse, eo excepto, quod ipsa domina in extremis posita potest pro anime sue remedio tot sexagenas gr. d. consilio ipsius C[onradi] disponere et legare. Si vero intestata, quod absit, premori contingeret, tunc ille, qui presentes habebit litteras, tot sexagenas predictas de ipsius C[onradi] consilio distribuet et legabit. In cuius rei testimonium oc.

36. Forma recognicionis matrimonii contracti ex parte recipientis.

D. V.

Ego F., filius quondam . . de Neuburga, civis Pragensis, tenore presencium recognosco, quod recepi M[argaretham], filiam P. de —, civis Pragensis, in uxorem legitimam bona et spontanea voluntate et promisi eidem M[argarethe] gr. pr. nomine dotalicii obtinendas ex nunc ei obligans loco pignoris hereditatem meam cum suis pertinenciis universis pro iam dicta summa pecunie sub hac forma, quod si aliam hereditatem pro hiis D. s. gr. de voluntate et consilio domini P. prefati et amicorum suorum comparvero et emero, tunc predicta hereditas in — a iam dicta pecunia dotalicii libera remaneat, sicut prius. Promitto eiam, quod ipsam M[argaretham] non recipiam per trium annorum spacium continuum a data presencium neque petam ad nubendum aut cogam eundem dominum P. per aliquas inportunas petitiones regis vel regine aut alterius cuiuscunque pro ipsa M[argaretha] mihi medio tempore carnali copula copulanda. Item si dictus P. eidem M[argarethe], filie sue, ultra C. s. gr., quas ei promisit nomine dotalicii, quidquid in parata pecunia vel aliis bonis superaddiderit, ego duplum dare debeo viceversa, si particeps esse voluero huius superaddite pecunie vel bonorum. Si autem hoc super additum duplum recompensare nolero, tunc ipsa M[argaretha] de huiusmodi superaddito in vita et in morte facere poterit, quidquid voluerit, non obstante meo et amicorum meorum oc.

### 37. Ex parte tradentis ad idem.

D. VI.

Preterea ego dominus(!) P. de . . civis Pragensis tenore, presencium recognosco, quod dilectam filiam meam M. nomine, F., quondam filio Conradi de N., civi Pragensi,



tradidi legitimam in uxorem, promittens eidem filie mee C. s. gr. den. nomine dotalicii obtinendas, pro qua summa pecunie census meos D mar. in civitate Pragensi, qui mihi singulis annis solvuntur, obligavi et obligo loco pignoris. Ita videlicet quod, si pro hac summa pecunie dotalicii aliquam hereditatem aliam de voluntate et consilio predicti F. et amicorum suorum comparavero et emerit, tunc census mei prescripti remanebunt, sicut prius, liberi. Item promitto eidem M., filie mee, L s. gr. den. pr. pro vestimentis et lectisterniis ad manus duarum dominarum de cognatis dicti F. dare, cum tempus venerit nuptiale. Expressum est etiam in contractu matrimonii memorati, quod si eundem F., quod absit ante carnalem copulam mori contingerit, tunc omnia promissa prescripta nullius erunt valoris seu vigoris. In cuius oc.

88. Donacio regalis alicuius opidi vel alterius rei, videlicet telonei, castri oc.

D. VII.

Nos — Romanorum rex, tenore presencium profite-mur et scire volumus universos tam presentes quam futuros, quod nos nobili viro —, comiti de tali loco, dilecto nostro et fideli, in XII millibus marc. argenti, quas in nostris ac imperii necessitatibus pro nobis exposuit, excepit et in se recepit, iuste et racionabiliter existimus obligati. Et quia curie nostre situs pecuniam non habet paratam ad presens, eidem comiti et suis heredibus pro eisdem XII millibus mar. theloneum nostrum et imperii apud —, quod ibidem annis singulis nomine nostro recipitur, ut est consuetum, cum suis iuribus tenendum tamdiu, quousque sibi et suis heredibus per nos vel nostros successores predicti millia quam plene et integre sine diminutione qualibet fuerint persoluta. Attendentes labores plurimos et dampna gravia, que predictus comes in serviciis nostris et imperii sustinuit et sustinet indefesse et quod occasione predicti debiti pro nobis contracti dispendiosa dampna incurrere poterit, sibi de speciali gracia liberaliter indulgemus, quidquid de predicto theloneo, antequam de suis manibus redimatur, singulis annis perceperit, illud minime in sortem principalis debiti debeatur computari, sed proventus seu obvenciones et redditus eiusdem telonei sibi et suis heredibus fructus huiusmodi computentur, simpliciter de regia libertate largimur, volentes, quod nullo modo unquam sibi et suis heredibus fructus huiusmodi computentur in sortem vel super eis aliqua questio moveatur. In cuius rei oc.

39. Forma, quando facta racione unus alteri remanet aliquam summam pecunie.

D. VIII.

Recognoscimus per presentes, nos facta racione cum —, civibus nostris Pragensibus, de omnibus domibus, debitis, in quibus eis tenebamur, ipsi — in tot marc. et dicto — in tot marc. den. prag., LXVIII gr. pro marca computando, remansisse debitores. De qua pecunia dictis — et — satisfacere intendentes, ipsam eis vel, si ipsi non essent, heredibus suis promittimus [solvere] in terminis infrascriptis, videlicet medietatem in festo — proxime nunc venturo et reliquam medietatem ipsius pecunie in festo s. — tunc proxime secuturo, consensientes eisdem pro ipsa pecunia fideiussorem spectabilem virum Io. comitem de — et H. — summi marssalkonis, fideles nostros et dilectos. Ita quod in quocunque ipsorum terminorum termino, modo ut predictur solvenda, dictis — et — [si] soluta non fuerit, ipsi nobiles moniti per — et — prefatos, civitatem Pragensem per se vel quilibet ipsorum per unum suum armigerum cum duobus equis obstagium introibunt.

40. Forma recognoscionis in contestato et sanxto iudicio.

D. IX.

Nos R. et H., cives Maioris Civ. Prag., recognoscimus, quod Petrus et Io., frater eiusdem, nostri concives, coram nobis constituti in contestato iudicio, ubi quelibet gesta plenum posse obtinent et vigorem, non coacti, sed propria bona ac spontanea voluntate recognoverunt pro vido et discreto viro U. Slaneri, civi Mai. Civ. Prag., LII s. gr. den. prag. pro V staminibus pannorum Levlin. debitorie teneri ac obligatum esse oc.

41. Forma longioris termini super censu pro aliqua capitali pecunia danda.

D. X.

Recognoscimus et testamur, quod cum ex parte dicte civitatis nostre discretis viris N. et H., fratribus dictis, civibus Pragensibus, et eorum heredibus in tot sexagenas gr. den. prag. rite et racionabiliter ac iuste debitorie sumus obligati, quas ipsis in festo s. — quod sub anno domini millesimo — preteriiit, persolvere, prout hoc in litteris ipsius civitatis nostre super eo datis, plene patet, debebamus et hoc nullo modo propter defectus varios facere possemus, tunc ipsi fratres ex parte civitatis nostre predictae rogati, ut maiora nostra dampna precaventes occasione predictae pecunie tot sexagenas gr. prag. censum per aliquod tempus annue reciperent, in quo nobis consenserunt, donec possemus preactas nostras litteras pro supradicta principali pecunia facilius liberare. Post hoc vero ipsi fratres nobis nunc pro nostrarum litterarum exsolucione et pro ipsius principalis pecunie plena persolucione, nollentes eam amplius dimittere, stare insisterunt nimis graviter nos monentes. Tunc ex parte ipsius civitatis nostre talem cum ipsis inivimus ordinacionem, quod ipsos instantim rogavimus, quod huiusmodi pecuniam ad hoc nobis sub dicti census onere induciarent, quod et fecerunt usque ad festum sancti — proxime affuturum. Promittimus igitur sine dolo quolibet oc — sepredictas nostre civitatis litteras pro dictis ducentis sexagenis gr. et XXX sexag. eorundem den. gr. exinde nomine census de hoc anno solvendis erga dictos fratres nusquam ipsos alias, videlicet super ullum censum, remittendo, finaliter exsolvere et redimere in festo prenominato. Quod si non fecerimus in hoc contra preactum nostrum honorem et fidei observacionem forsitan facere volentes, quod absit, proinde dicti fratres sine quolibet iuris sui preiudicio poterunt nos, cives predictae civitatis, quoslibet et bona nostra quolibet mobilia et immobilia ubique locorum coniunctim vel divisim sine cuiuslibet iudicii strepitu, de cuiuscunque adiutorio voluerint, occupare, arrestare, impignorare huiusmodi in usus sibi placendos convertere usque ad satisfacionem totius sui antedicti debiti et omnium dampnorum, que hac occasione se apud christianos velud Iudeos pertulisse dixerint credendo verbis eorum simplicibus sine addicione sui iuramenti super eorum quorumpiam locorum vel hominum cursu iuris — et iudicii defensionis, precepti, statuti, vel consuetudinis non obstante. Et qui hanc litteram oc.

42. Forma vendicionis alicuius allodii sub censum.

E. I.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod ego V., civis Mai. Civ. Prag., tenore presencium recognosco, quod villam meam — maiorem cum suis iuribus et censibus mihi et meis heredibus ac successoribus quocumque modo debitis in eadem et in fixo vel in mobili statu

ponere cupiens et locare, sic quod status iudicis et villarum ibidem bona sua ad ius emphiteoticum possidentium non vacillet. Iudicium ipsius ville cum suis iuribus et pertinentiis infrascriptis, videlicet cum uno laneo agrorum libero et duobus laneis censualibus, quolibet eorum VII fertones, XV gr. prag. pro fertone computantes, nomine census in omnem eventum solvente indivisim singulis festis sanctorum — et semper de cetero annuatim, cum etiam taberna libera et tercio denario similiter libero ex quibuscunque culpis proveniente, exceptis tribus causis criminalibus, videlicet homicidio, incendio et stupro, ex quibus culpis nihil ad ipsum iudicem, sed ad me et meos heredes, successores totum, quod provenit, pertinebit, sic quod me vel quocunque successorum meorum in dicta villa pro tribunali sedente omnia iura, que unicuique dominorum pro tribunali sedenti in litteris (!) suis debentur, etiam nobis plenarie et sine quolibet detrimento debeantur. Cum etiam uno pomerio, uno humulario et uno orto, de quibus solventur XL gr. census nomine eo modo, ut predictur, annuatim; cum etiam una arca libera, in qua stuba balnearis quondam fuerat posita et constructa, vendidi et locavi rite et racionabiliter meo et heredum meorum nomine discreto viro — iudici dicte ville, ementi et recipienti pro se et pro suis heredibus pro certa pecunie quantitate, quam mihi ex toto persolvit, tenendum et habendum per eum et eos iure emphiteotico partim libere et partim sub census onere, ut est dictum. Ceteri autem villani autedictae ville obtinentes 10<sup>1</sup>/<sub>2</sub> laneos agrorum, preter tres laneos iudicis antedictos, quorum laneorum quilibet LXVIII m. seu strichones obtinere debebit, secundum, quod minus mensuralis demonstrabit et sicut est antiquitus observatum, de eisdem laneorum quolibet solvent mihi et meis successoribus seu heredibus VII fertones numismatis et numeri prenotati, divisim in terminis prelibatis. De prefatis quoque laneis omnibus censualibus inclusis preactis duobus laneis iudicis, quos sub onere census tenet, solventur et assignabuntur mihi et pueris meis ac suis in loco, ubi residenciam fecerimus corporalem, boni pulli XII censuales anno quolibet in vigilia Nativitatis Christi. Et predicti villani prefatos laneos censuales iure emphiteotico in perpetuum possideant debentque iure Zacensis frui seu uti in singulis iudiciariis causis, in quorum dubiis ad scabinos seu iuratos civitatis eiusdem recursum habebunt liberum et eorum informacionibus subiacebunt per singula et gaudebunt. In quorum oc.

43. Forma perpetua super vendicione hereditatis.

E. II.

In nomine domini amen. Ne labili hominum memoria gesta condicionis humane processu temporis a malignantibus valeant impugnari, oportet ipsa voce testium aut scripti robore perhennare. Nos igitur Conradus, divina providencia Luthomericensis prepositus et curie Pragensis episcopi cancellarius, per presens privilegium ad memoriam presencium et noticiam deferri volumus futurorum, quod maturo habito consilio pariter et consensu venerabilium virorum domini Welyslai scolastici, Elye Petri, regni Boemie protonotarii, Iohannis de Zarow, Adolphi, Luthomericensis ecclesie canonicorum, curias duas in villa, que Bernan vocatur, ad nostram Luthomericensem preposituram pertinentes, de quibus, postquam dictam preposituram reximus, nullam utilitatem percepimus, nisi tantum unam marcam argenti annuatim, dilectis nostris, servitoribus Smyloni et Chraponi, suo fratri, cum omnibus ad curias pertinentibus, videlicet agris, pratis trans Egram virgultis, silvis citra Egram, piscacionibus et libertate flu-

minis, quam nobiscum et nostris successoribus habere possunt sub molendino nec non viridarium, quod vulgare Trawnik dicitur, quod viridarium nostro molendino ibidem in Bernan et omnibus molentibus et manentibus in ipso molendino predictisque Smyloni et Chraponi seu ipsorum bonorum possessoribus debent communiter deservire, rite et racionabiliter pro XXII m. arg. vendidimus iure hereditario ab ipsis ipsorumque heredibus, si quos nunc habent vel in posterum habebunt, omni nota in petitionibus proculmota, libere possidendas. Condiciones tamen subsequentes ab eisdem instituiimus observandas, videlicet ut prefati servitores Smylo et Chrapa eorumque successores de predictis bonis nobis nostrisque successoribus singulis annis dent unam marcam in vigilia s. Georii et alteram sabbato in Quatuor temporibus ante festum s. Wenceslai sub evitacione pene VIII solidorum. Insuper IIII pullos in Nativitate domini et alios IIII in Invencione s. Stephani ad nostram curiam tenentur presentare. Preterea si casus inopinatus, quod absit, antedictos servitores seu heredes ipsorum ad tantam deveheret inopiam, ut racione nimie paupertatis sepe nominata bona ad suam utilitatem excolere seu reformare non valerent, extunc eadem bona cum voluntate nostra sive nostrorum successorum, quam super eo requirere debent, cuicumque ipsis placuerit, vendere poterunt, dummodo premissus census, sicut expressum est, nobis aut nostris successoribus in terminis superius assignatis ab ipsis emptoribus sine diminutione qualibet persolvatur. Preterea sane ecclesie et prepositure nostre providere cupientes cum predicta pecunia ambitum ante fores ecclesie fecimus construi et molendina prepositura in Bernan, que per nimiam inundacionem omnimodo aque destructa fuerant, ordinavimus reparari. Huiusmodi autem vendicionis et empconis testes ex utraque parte sunt hii: d. Sebastianus, decanus Luthomericensis, Iohannes dictus de Zychow, Petrus de Chosschal, Woytyech Alban (Alban? Awan?), Hermanus dictus de molendino, Petrus dictus de Zandow, Nicolaus et Henricus dicti de Budyschyn, cives Luthomericenses, et alii quam plures viri fidei digni. Ut autem hec vendicio nostra robor obtineat firmitatis presentem ipsius paginam dedimus sigilli nostri capituli ac nostre prepositure munimine roboratam. Datum per manum Ottonis, nostri notarii, anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup> CCCIII<sup>o</sup>, VIII<sup>o</sup> Kal. Augusti.

44. Forma condescensionis bonorum.

E. III.

Nos Wilhelmus, prepositus Luthomericensis, tenore presencium profite-mur universis presens scriptum visuris, auditoris et lectoris, quod circumspectus vir Michalik de Brnan, noster armiger nec non et censualis, cum voluntate Anne, conthoralis sue legitime, nec non cum voluntate liberorum suorum condescendit bona sua hereditaria cum omnibus iuribus et pertinentiis ad dicta bona pertinentibus ibidem in Brnan sitis, cum pratis, pomeriis, rubetis, pascuis nec non cum curia ibidem in Brnan sita et ad dictam hereditatem pertinente discretis ac religiosis viris Henzlino et Petro dicto Rus, fratribus in Owyn, nec non et toti conventui ibidem in Owyn. Nos igitur Wylhelmus, prepositus prenominatus, dicta bona hereditaria una cum curia ad dicta bona pertinente cum pratis, rubetis, pomeriis et pascuis dictis Henzlino et Petro, fratribus in Owyn, donavimus, contulimus, assignavimus nec non presentibus damus, conferimus, assignamus et hereditarie possidendam in perpetuum resignamus in omnibus clausulis, punctis, limitibus et modis ab antiquo tentis et reservatis, prout privilegium dicti Michalikonis supra bona

predicta confectum cavit et testatur. Promittimus quoque presentibus dictis fratribus privilegium antiquum per omnia, ut cavit, renovare et sigillo nostro et capituli nostri roborare et communire. In huius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum anno domini MCCCLXXXIX<sup>o</sup> proxima feria VI<sup>a</sup> ante dominicam, qua canitur Letare.

45. Forma donacionis alicui ex parte regis.

E. III.

Karolus, dei gracia oc., dilectis nobis Andree et Tomasoni de Florencia, fidelibus nostris, gratiam et omne bonum. Licet de diversitate multiplici minerarum auri et argenti, quibus hereditarium regnum nostrum Boemie disponente domino pre ceteris huius mundi principibus exuberanter tripudiat, possimus pre multis huius terre principibus in satis magna gloria gloriari, contigit tantum, quod occulte fide conspicimus et quod manifestis colligimus argumentis, quod quam plures utilitates, proventus et usufructus multiplices, que ex dictarum minerarum culturis et obventionibus, si ad debitum regerentur, omnes nostros provenirent in usus nostrorumque subditorum respicerent commoda, per officialium nostrorum inordinatam depereunt ac periculosam incuriam negligentium. Nos igitur, qui potencialiter universa nostre devocioni subiecta administrante domino feliciter regimus et singulis tamen interesse principaliter non valemus, de legalitate vestra et intemerate fidei constancia, qua semper apud nos gloriosus claruitis actibus, plurimum presumetis, vos in custodes et supremos gewardatores auri et argenti per totum nostrum regnum Boemie matura deliberatione prehabita et de certa nostra sciencia duximus statuendos. Sic videlicet, quod universum aurum et argentum inter materiis nostris non signatum, quod furtim et clandestine crebro et frequenter de predicto regno nostro Boemie educitur, apud quascunque personas inventum, auctoritate nostra per vos vel familiares vestros, famulantes, quos ad hoc statueritis sive statuendos duxeritis, tollere debeatis et recipere, nulli in hoc penitus sublimi vel basso equaliter deferendo. Volumus insuper et fidelitati vestre districte precipiendo mandamus, quatenus ferrum, stannum, cuprum, plumbum, ceram vel cernereum et alia penitus mercimonia, in quibus aurum vel argentum portari suspiciati fueritis, per vos vel familiares vestros dissolvere et rumpere ac disligare aurumque et argentum querere in eisdem ac inventum cum equis, curribus et aliis quibuslibet rebus mercimoniis tollere et recipere debeatis. Predicti vero auri et argenti, sicut inventum et per vos vel familiares vestros receptum fuerit, terciam partem nostre camere regali, terciam urburariis nostris, residuam vero terciam partem eis, qui hoc receverint et recipi procuraverint, volumus determinari. Contradicentes vero et se vobis vel familiaribus vestris per vos ad hoc constitutis aequaliter opponentes amarissime mortis supplicio, bona quidem ipsorum mobilia et immobilia fisco regalis curie nostre irremedialiter condemnavimus, mandantes universis et singulis baronibus, wladikonibus, militibus, clientibus et civitatibus ac villarum iudicibus, iuratis, civibus, villanis et iusticiis per Boemiam constitutis, fidelibus nostris dilectis, quatenus vos et vestros in expediendis huiusmodi negociis vestris nullatenus impedire nitentur vel presumant quomodocunque, quodocunque, ubicunque, quociescunque per vos vel familiares vestros requisiti fuerint, vobis vel predictis familiaribus vestris presentem auxilium, consilium et iuvamen sub indignacionis nostre pena, qua, qui hoc facere recusaverint, se noscant irremedialiter in-

currisse. Decrevimus eciam, quod quicunque de qualibet marca auri vobis XX gr. pr. dederit, aurum suum nostro signo signatum quocunque voluerit, poterit deportare. Et quia multis et diversis impediti negociis omnes modos, condiciones utiles et vias oportunas ad predictum nostrum negocium spectantes, sicut ipsius requirit necessitas, instaurare, excogitare et ad debitum ordinare personaliter non valemus, fidelitati vestre, de qua ad plenum presumimus, comittimus et mandamus, quatenus omnes modos, vias et cautelas utiles ad obvianum iacturis huiusmodi, quibus camera nostra per asportacionem talem auri et argenti dampnificatur cottidie, adhibere et tota, qua potestis, diligencia apponere debeatis, quos et quas omnes gratas, ratas, firmas ac efficacia virtutis et vigoris tenere et habere volumus, ac si faceremus personaliter et inserta essent presentibus singulariter et expressa. Presencium sub nostro sigillo testimonio litterarum. Datum et actum oc.

46. Idem mutacione monetarum.

E. V.

Karolus, dei gracia oc., iudici et iuratis ac universitati civium Maioris Civ. Pragensis, fidelibus nostris dilectis, gratiam regiam cum plenitudine omnis boni. Licet dudum monete nostre regales auri et argenti satis competenter ordinate et disposite fuerunt et ad communem profectum emencium et vendencium in habundanti providencia fabricate, nunc tamen sub ubertate maioris auspicii omnes monetas regni nostri Boemie, cui favente domino presidemus feliciter, in omni conditione, forma et modo, sicut hoc rei publice credimus esse proficuum, notabiliter fecimus emendari, ex eo potissime cum in ipsis insigne maiestatis nostre nomen explicatis appareat apicibus et maiestatis karactere elucescat. Verum tamen florenos, quos sub propriis excellencie nostre insigniis et descriptione nominis accurata sollicitudine et circumspectione provideri, cudi et monetari fecimus, sicut ad nostre maiestatis provenit audienciam, aliqui mercatores, institores et alias res diversas ementes et vendentes in predicta civitate nostra recusant recipere parvipendentes in hoc nostre maiestatis insignia et excelenciam nostri nominis contempnentes, quod leviter ferre non possumus et absque mentis amaritudine suspicere non valemus. Fidelitati vestre sub indignacionis nostre pena districte precipiendo mandamus, quatenus diebus forensibus et in ecclesiis civitatis predictae faciatis vulgo preconna voce dicere ac publice proclamare, quod floreni nostri, quos iam, ut prediximus, cudi et monetari fecimus, ab omnibus ementibus et vendentibus in quibuscunque pecuniariis contractibus indifferenter per totum regnum nostrum Boemie secundum valorem, sicut prius alii floreni recipi consveti sunt, sub pena X s. gr. pr., quas ipsos florenos recipere nolentibus ad cameram nostram solvere volumus, recipi debent sine contradiccione qualibet in quibuscunque contractibus atque tolli, antiqui vero floreni et alii cuiuscunque conditionis aut monete fuerint, volumus, quod infra hinc et festum Pasche proximum dumtaxat et non ultra valorem habeant aut processum; postea vero ipsos florenos antiquos cuiuscunque monete vel condicionis ad cambium nostrum tantquam aliud aurum secundum valorem ipsorum vendendos volumus deportari. Florenos autem antiquos, quos quis, ut est predictum, ad cambium nostrum non deportaverit, sed ad emendum aliquid cum eisdem eos exhibuerint, per familiares nostros ad hoc constitutos nostre camere regali volumus confiscari. Volumus ceterum et fidelitati vestre iniungimus specialiter et mandamus, ut presens edictum nostrum universis et singulis civibus nostris, videlicet regni

Boemie, ut et ipsi similiter hoc observent et teneant, debeatis sine intermissione qualibet nunciare.

47. De proscriptioe.

E. VI.

Karolus dei gracia oc. — Ad aures nostras relacio fidedigna produxit, quod rationis ac discrecionis vos scipius debito moderamine pretermissis nonnullos pro levibus seu parvis excessibus sive iniuriis a prefato opido . . . proscribe consuevistis, non obstante, quod pena delicti mensura existit nec debet ipsius excedere quantitatem. Volentes itaque facto huiusmodi oportuno remedio adhibere, fidelitati vestre districte precipiendo mandamus, quatenus pro iniuriis verbalibus, prout in sessione in bancis suffragio amicus amico consuevit aliquociens in iudicio exhibere, modica et exili segetum devastacione seu culpis aliis, que tam leves existunt, deinceps neminem sub obtentu nostre gracie proscribebat. Advertentes quod pena de rebus odiosis ex nunc debita vos decet consideracione restringere et ad partem redimere micriorem. Vobis tamen super hoc ex nunc volumus potestatem adimere nec dictos leves excessus, iniurias sive culpas possitis per alios vestros semper congrua punicia cohercere.

48. De assensu et permissione vendendi bonorum.

E. VII.

K. dei gr. Quia, sicut in forma tue supplicacionis nuper comperimus, nonnulla bona, possessiones et predia, que pridem certis causis postulantiibus obligasti, velles redimere, dum cum nostra celsitudo preberet assensum, que bona redimenda per te, ut premititur, valeres et posses pro huiusmodi redempcionis pecuniis personis aliis pignore obligare, nos tuum rationabile, iustum ac ordinatum propositum illamque utilitatem, quam nobis ex hoc meditari attrahere, presertim cum bona tua, que possides vel habebis, nobis iuxta ritum et approbatam consuetudinem regni nostri Boemie intabulata noscuntur, gratiosius intuentes damus et concedimus tibi plenam licenciam et omnimodam facultatem eadem bona, dum ea exsolveris pro pecuniis, quas impenderis, personis, quibus volueris sive poteris, obligandi ipsisque ad habundancioris cautele presidium fideiussores, si oportuum fuerit, statuendi. Etenim promittimus et de regia benignitate spondemus obligationes easdem penes (!) possessionem talium bonorum graciosae dimittere, donec nos, successores oc.

49. De condescensione pro debito \*).

E. VIII.

K., dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex, fidelibus suis dilectis, iudici — iuratis civibus Maioris Civ. Pragensis gratiam suam et omne bonum. Quia nos aliquibus vestris concivibus, ostensoribus presencium, certam summam pecunie, in qua ipsorum debitores existimus eo, quod nonnullos hospites suos ab expensis, quas in domibus suis fecerant, de mandato nostro super nos actualiter solverant, super ungelto salis in regno nostro Boemie duximus deputandum, nolentes, ut ipsi a creditoribus suis, donec umquam satisfiat de summa huiusmodi, ammoniciones, dispendia aut obstagiorum tedia aliquatenus paciantur, idcirco fidelitati vestre seriose et sub obtentu gracie nostre precipiendo mandamus, quatenus predictos concives vestros ob hoc, quod de pecuniis sibi creditis suis satisfaciant creditoribus aut occasione talium pecuniarum quevis prestant obstagia aut dampna sustineant,

\*) Text velmi jest porušeuy

priusquam de proventibus predicti ungelti per nos sibi deputatas pecunias assequantur, ad plenum nullatenas compellere aut artare debeatis.

50. Presentacio regine.

E. IX.

Anna, dei gracia [Romanorum] regina semper augusta et Boemie regina, venerabili Arnesto, archiepiscopo Pragensi, principi et devoto nostro karissimo, gratiam regiam et omne bonum. Ad ecclesiam parrochiale in Melnyk vacantem ad presens per mortem (seu liberam resignacionem) quondam Petri, eiusdem ecclesie rectoris, novissime, cuius quidem ecclesie presentacio sive deposicio ad nos tantquam ad reginam Boemie spectare dinoscitur, devocioni tue Conradum de — sacerdote, capellanum comensalem, nostrum devotum dilectum, ducimus presentandum, eandem devocionem tuam hortantes attente, quatenus dictum Conradum ad pretactam ecclesiam tue diocesis Pragensis investias et in corporalem possessionem vel quasi eiusdem ecclesie inducas aliaque sibi impendas, que ad tuum circa premissa noscuntur pertinere officium, faciens sibi ad omnibus et singulis, quorum interest de fructibus, redditibus et pertinenciis universis et singulis integre responderi, adhibitis circa premissa sollempnitatibus debitis et consvetis. Harum sub nostro sigillo litterarum. Datum et actum oc.

51. Presentacio.

E. X.

In nomine domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos A., dei gracia s. Pragensis ecclesie archiepiscopus, ad presentacionem et petitionem discretorum virorum — et —, civium civitatis Pragensis, discretum virum G. clericum, exhibitorum presencium, ad ecclesiam per A., rectoris eiusdem, mortem vacantem in tali loco, in qua ecclesia predicti cives plenum obtinent ius patronatus, rectorem legitimum eiusdem ecclesie institimus pleno iure ipsum sibi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate, qua fungimur, confirmantes et curam et regimen eiusdem ecclesie committentes. Anno dominice incarnationis, ut supra.

52. Presentacio canonicalis.

F. I.

Nos divina miseracione — de tali loco et — canonici ecclesie Pragensis, administratores et vicarii generales episcopatus eiusdem per venerabilem in Christo patrem et dominum dominum Arnestum, Pragensem episcopum, in spiritualibus et temporalibus deputati, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos ad presentacionem discretorum virorum — et — dictorum de tali loco, fratrum, civium de tali loco, discretum virum — clericum, exhibitorum presencium, ad altare s. Andree apostoli in ecclesia s. Spiritus in Grez, in quo altari idem — et —, cives predicti, ius obtinent patronatus, rectorem legitimum eiusdem altaris institimus pleno iure ipsum sibi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, ut supra.

53. F. II.

Vobis domino plebano ecclesie in — aut vestras vicesgerenti sub excommunicationis pena mandamus, quatenus — clericum vel alterum de tali loco ad nostram peremptorie citetis presenciam, quem et nos presentibus citamus, ut tali die, hora tali coram nobis Prage in curia archiepiscopali compareat Io. clerico vel presbytero ad

obiecta responsurus vel de iusticia fidem nobis vestre executionis facite ad terminum memoratum oc.

## 54. F. III.

In nomine domini amen. Cum propter instabilem humane condicionis alteranciam et ob fluxum temporis continue decurrentis sagacitas veterum prospicua censuit actus hominum efficacis scripture memoria perhennare, noscuntur igitur oc quod nos — una cum consorte nostra — nec non et filiis nostris — et unanimi consensu et pari voluntate, volentes condicionem ecclesie nostre — in honore — facere meliorem, que nimio paupertatis onere est oppressa et ex eo, quod principaliter eadem ecclesia sit de nostra collacione, ymo propter decens ipsius collegium iure parrochiano tamquam filia matri in amore sancte Trinitatis ad eandem summus anxi, merito de nostra gaudere debet provisione et tuicione speciali, statuumus nihilominus omnino volentes ob devocionem, quam ad eandem ecclesiam gerimus, svadente nobis virtute et clemencia divina pietatis opus in hoc facto facere cupientes in salutis remedium et solacium eternum anime nostre et predecessorum nostrorum, quod ad emendam dotis et plebani, quicunque fuerit legitime confirmatus ad predictam ecclesiam, plenam decimam de curia nostra in villa — sita de omnibus proventibus agrorum, peccorum, pecudum vitulorum, porcellorum, agnellorum, caseorum, ovorum et aucarum ibidem in curia proveniencium fideliter dare promittimus et explere absque ulla occasione et contradicione, excusacione aliqua non obstante.

## 55. F. IIII.

Nos Johannes de Wartemberg — constare volumus universis, ad quos pervenerit presens scriptum, quod nos honestis viris P. de — pro suis serviciis nobis fideliter exhibitis et gratanter et pro dampnis in eisdem nostris serviciis receptis M et CCC marc. pragensis ponderis, pro qualibet marca LVI gr. computando, in festo Penthecostes proximo nunc venturo solvere promittimus et tenemus. Pro quibus M et CCC m. predictis nobilis vir dominus H. de Lypa, noster avunculus karrissimus, dominus N. dictus P., noster miles, dominus de — et frater suus D. de — una nobiscum manu coniuncta et indivisa prefatis in dicto termino solvere promiserunt tali condicione atque pacto quod, si sepefatis in termino predicto MCCC marce predictae per nos aut avunculum nostrum non fuerint persolite, ex tunc prescripti fideiussores, qui nobiscum promiserunt, castrum nostrum Welyn super Albea situm pro predictis MCCC m. assignare in vadium tenebuntur super diem et festum beati — proxime nunc venturum ab ipsis prefatis H. et P. habendum et ab ipsis tenendum pignoris racione. Ita videlicet, quod predicti, quibus est compromissum, nobis aut fratri nostro seu avunculo nostro, dicto Henrico de —, postquam dictum nostrum castrum fuerit exsolutum, de ipso nostro castro sine intermissione condescendant. Si vero nos, frater noster aut noster avunculus predictus predictis P. et H. M et CCC m. predictas in festo sancti — proxime nunc venturo non solverimus, nec dederimus, prout superius est expressum, ex tunc antedicti P. et H. iuxta nostrum consilium et scitu nostro pro predictis MCCC m. poterunt obligare et obligandi plenam habebunt et liberam potestatem. Preterea cum nihil sit cercius morte, quod absit, si prenominati videlicet P. et H. infra predictum terminum et tempus de medio huius seculi tollerentur, ex tunc nos, avunculus noster, dominus H. de — et Io — miles noster, dominus C. de — oc pretactis rata tenere adimplere omnia et singula predicta, prout

superius est expressum, tenebuntur absque doli capcione. In cuius rei oc.

## 56. Forma mariti ad coniugem suam.

## F. V.

Precordialissimo domino suo — civi Pragensi M., eius conthoralis, sincere fidelitatis nodum indissolubilem et amoris Miror ymmo admirari non sufficio, quod tam in longa a me absentia nunquam mihi aliquid demandasti, pro quo cor meum scindi posset nimio pre dolore, cum nesciam aut qualiter tibi succedat tuis in agendis. Quocirca peto omni qua possum precum instancia, quatenus, quam primum nuncium habere poteris, mihi sospitatem tui corporis tuam per litteram velis declarare, ut mihi solacium vite mee ex hoc non modicum oriatur. Quod si non feceris, sciens quod pre nimia tristicia, nesciens si vivis vel non, aut quomodo tibi succedat, me continget corpus meum totaliter annullare. oc.

## 57. F. VI.

Serenissimo principi, ipsorum domino reverendo, domino regi Boemie et regi — iudex et iurati cives civitatis — se et suo ad omnia beneplacita et mandata pro — cive talis civitatis, exhibitore presencium, quem dominus — hiis diebus preteritis captivum habuit, tenuit et servavit, cuique universa et singula bona sua, que super terram iure hereditario possidet, per ipsum — proch dolor ablata sunt pariter et recepta in ipsius preiudicium non modicum et gravamen. Vestre serenitati regie provolvimur obnixius deprecantes, quatenus intuitu dei et iusticie eidem — de quo nunquam quidquid mali audivimus nec percipimus, nisi quod ipse sine nota infamie se conservaverit, tamquam vir servilis et fidelis, munimen vestre pietatis et clemencie dignanimi graciosius impertiri. Ita quod de vestre regie maiestatis munificencia ablata rehabere valeat atque possit.

## 58. F. VII.

Magnifico principi domino K. regi Romanorum semper augusto et regi Boemie, N. iudex — et iurati cives civitatis Pragensis, quidquid potuerint servicii et honoris. Significamus dominacioni vestre, quod constituta coram nobis relicta — concivis nostra cum N. filio et aliis filiis suis ostendit litteram patentem, in qua vidimus contineri, quod concordaveritis cum ea et filiis suis pro debitis, in quibus eis vestra dominacio fuerat obligata. Ita quod C. s. gr. debeatis eis modo dare et alias C. gr. s. in festo sancti — proxime affuturo. Ita tamen, si litteras vestras omnes, quas habuerunt et habent a vobis et a fideiussoribus vestris pro debitis principalibus et dampnis accrescentibus nobis presentaverint ad servandum. Super quo sciat dominacio vestra, quod ipsa relicta et filii sui presentaverunt nobis omnes litteras vestras priores et modernas, XIII in numero, quas vobis in presenti transumpto sub secreto nostro dirigimus sub hac condicione, quod si C. s. gr. nunc et alie C. s. gr. in festo sancti — proximo per vos eis fuerint persolite, nos promittimus litteras vestras, quas iam habemus, reddere, quicunque eas reddere et presentare facietis. Insuper relicta — cum filiis suis cessabit ab omni repetitione et monicione de cetero omnium debitorum principalium et dampnorum. Si autem non persolveretur eis per vos iam dictum debitum in aliquo terminorum predictorum, ex tunc nos eis litteras nobis presentatas redderemus, ut dominacionem vestram iterato moneant, sicut iuris fuerit et eis videbitur expedire. Datum et actum oc.

## 59. F. VIII.

Servili et prompta in omnibus voluntate premissa. Qua terminus solucionis pecunie mee, in qua michi obligamini cum domino — de tali loco, pie recordacionis, et pro ipso, dudum est elapsus, ut vestrarum plenius edocet forma litterarum, et ex huiusmodi dilacione solucionis dampnum modernum satis grande teste altissimo [oritur], vestram igitur exhortor nobilitatem corde intime deprecans, quatenus mox auditis presentibus dictam pecuniam michi transmittatis aut Pragam ingredientibus obstagium debitum inibi prestetis iuxta vestrarum continenciam litterarum. Preterea veridico intellexi ex relatu me pro assecucione mei predicti debiti ad dominum regem per dominum — debere dirigi et remitti, quod omnino fieret contra honorem suum et vestrum nec non gravissimum tenorem litterarum vestrarum super dicto debito confectarum, in quibus preluce continetur, si, quod absit, me pro requisicione predicti debiti mei ad aliquem alium cuiuscunque condicionis, preeminencie aut status fuerit, remitteretis, ex tunc ipso facto essetis fidefragi et iuris expertes facti et nihilominus quod debeam loqui contra vos, fidem et honorem vestrum ubique locorum pro mee beneplacito voluntatis vestra reclamacione qualibet quiescente. Ne igitur famam vestre nobilitatis laudabilem, quam atenus unicuique illesam conservastis, pro modica videamini pecunia vendidisse, nobilitati vestre svadendo supplico, quatenus vestra animadvertentes promissa mihi eam confessim, prout decet, efficaciter teneatis, cum pre ceteris vobis credidi mea bona ipsum dominum de frauduloso proposito pro viribus ducentes, quia in quocunque ipse vel alter vestrum contra fidem et honorem suum excederet, in eo omnes unanimiter videamini gravissime excessisse. Volunatem vestram mihi per exhibitorem presencium remittatis oc.

## 60 F. IX.

Amicabilibus serviciis nostris premissis, amici dilecti! Exposuit nobis V., T. carnificis filius, noster concivis, qualiter sibi M. residens in — ad vestram pertinens iurisdictionem, in quinque s. gr., pro quibus omne ius super eo secundum consuetudinem nostre civitatis obtinuit, sit et maneat debitorie obligatus. Quare amicicium vestram rogamus ex animo studiosse, quatenus dicto nostro concivi, presencium exhibitori, erga eundem vestrum concivem pro dictis quinque sexag. gr. iusticiam finalem exhibere velit nostrorum intuitu servitorum, pro quo vobis in simili, verum etiam pro maiori volumus effectancius complacere. Datum Prage in vigilia Ascensionis domini.

Magister civium, consules et scabini Maioris Civitatis Pragensis.

(Istud extra scribi debet, cui vel quo mitti debeatur): Prudentibus viris iudici et iuratis consulibus in Plzna, amicis nostris dilectis.

## F. X.

## 61. Magister civium, consules et scabini oc.

Noveritis, quod per communitatem nostram totam est electus ad nuncium cum aliis vestris collegis ad dominum nostrum regem ex arduis causis civitatis, idcirco vobis committimus et sub pena L<sup>a</sup> s. gr. irremissibili seriose mandamus. quatenus omni occasione postposita, mox ad nostram presenciam personaliter veniatis nullam in hoc penitus negligenciam committentes, sicut premissam penam volueritis sine dubio evitare. Datum feria VI<sup>a</sup> post Lucie

(Istud etiam extra debet scribi animadvertendus scriptor, cui debet presentari, utrum pro una persona vel pro pluribus aut ad plures fuerit presens scriptum.

## 62. G. I.

Prudentibus et honestis viris iudici et iuratis civibus civitatis Pragensis oc. Cum honestus vir N. in civitate — sit in debitis satis magnis obligatus et ipsa mihi non curet neque cogitet, ut tenetur, qnamvis ea multociens postulassem, [solvere], rogo discrecionis vestre paternitatem precibus indefessis, quatenus intuitu obsequiorum meorum dictum civem vestrum monicionibus ac informacionibus vestris commonitum habere curetis mihi debita predicta ut persolvat vel saltim, ut via exigit racionis, pro eisdem debitis iusticie prestet complementum.

## 63. G. II.

Habentes tuam presenciam in arduis vestris negociis et tractatibus inter vos ex una et H. civem talis civitatis, parte ex altera finiendis et terminandis quam plurimum oportunitatem vestram vel oportunam fidelitatem tuam requirimus et monemus volentes, quatenus ad nostram regiam celsitudinem in proximis Quattuor temporibus venire nullatenus differas et obmittas, si nostram indignacionem cupiveris (!) evitare.

## 64. G. III.

Habentes presenciam vestram vobis exigentibus quibusdam arduis et magnis negociis, quam plurimum oportunum, vos sub ea, qua de vobis gerimus, confidentia petimus et rogamus volentes, ut statim receptis presentibus assumptis ad vos dilectis vobis — et aliis quibusdam melioribus civibus civitatis Pragensis ad nos ad talem locum veniatis.

## 65. G. IIII.

Salutacio sacerdotalis ad amicum.

Oracionibus meis fidelibus premissis ad hunc sepius recurritur, de cuius benevolencia minime dubitatur. Ideo ad vos tamquam ad refugium singulare presentibus decrevi recurrendum flagitans precum mearum instancia indefessa, quatenus ob respectum meorum servitorum caritatemque magnam inter vos et me mutuo coniunctam, mihi talem rem vestram ad modicum tempus mutuare vel concedere non recusetis, librum quoque illum, in quo continentur talia dicta. Insuper, fidelis amice et dilecte, obsecro fideliter ac attente, ut mihi non egreferatis non solucionem pecunie, quod deo teste nunc temporis nullo modo alique grossum habere [possum], nam constringor nimia paupertate. Igitur rogo, si potestis, differatis ad modicum tempus, donec aequaliter deus dignetur statum meum ordinare.

Salutacio ex parte scabinorum.

## 66. G. V.

Voluntariis beneplacitis iugiter premissis vicini karissimi. Exposuit nobis Nyeta, nostre civitatis incola, quod dum Ianussio, coincole vestro, vaccam vendidisset, idem Ianuss pro eadem vacca sibi pecuniam non dedit in diem hodiernum. Ideoque rogamus, quod eidem Nyete iusticiam faciatis, in similem vicissitudinem vel maiorem oc.

Iudex et magister civium ac iurati in Iuveni Boleslaw civitate.

## 67. G. VI.

Salutacio a minori ad maiorem.

Serviciis fidelibus premissis domine nobilis graciose. Scripsit mihi vestra dominacio, ut sabbato hora prandii



coram gratiam vestram in W. deberem esse constitutus. Vestre significo dominacioni, quod littera a gracia vestra sabbato ante horam prandii, hoc est III. infra missarum sollempnia mihi est presentata, igitur ad horam et terminum per vos mihi prefixum venire neglexi nec eciam die dominico propter ardua domini mei negocia ad vestram gratiam potero pervenire, sed alio tempore, quocumque gracia vestra mandabit, in tali vel tali loco, paratus sum equitare, quandocumque dominatio vestra mihi intimabit.

Wilhelmus Buczko oc. Novi Castri purgravius.

68. G. VII.

Sub anno domini MCCCXCV. feria secunda in vigilia Purificacionis b. Marie hec acta sunt in Brzezen opido in domo iudicis Pessikone dicti Wrtyelze presentibus hiis viris, videlicet Iankone, procuratore carie Lacznow, ac iudice predicto Pessikone, nec non consulibus subscriptis, scilicet Iacobo dicto Kukan, Petro sutore, Gyrzokone, Paulo, Warmirzka (Warnuzka) et Pesskone Brzenzibus, et Andrea Wedlakone, Antossio, Wechone, Nycolao dicto Czap, Blasio et Krzyzankone, eciam consulibus de Zydy nyewes, facta est concordia in causa inter Vitum conversum, fratrem ordinis Heremitarum monasterii Albeaquensis, filios ac filias eius ex una ac Iohannem generum prefati Viti, que parte vertitur ex altera, in hunc modum: Ut ipse Iohannes gener bonorum omnium mobilium et immobilium legitimus sit possessor et ea teneat, regat et possideat cuiuslibet sine impedimento hominis tali sub condicione: cuiuslibet puero tenebitur dare et solvere duas s. gr. argenteorum pragensis monete et Vito prefato converso, patri dictorum puerorum, eciam duas sexagenas. Et si quis puerorum viam universe carnis transierit, ex tunc a primo usque ad ultimum in usus superstitum puerorum. Quos pueros sepefatus Iohannes gener tenebitur pertractare ac eis necessaria ministrare, victus et amictus, iuxta sue facultatis exigenciam, tamquam propriis pueris sine dolo usque ad annum rationis puerorum. Quod si non fecerit et in eum doctum fuerit coram iudice et iuratis, mox cuiuslibet puerorum tenebitur paratam solvere pecuniam, ut prefertur. Cuius fideiussores sunt hii: Matias Sedlaczko et Malczo carnifex et Clemencz de Brzezen, omnes manu indivisa. Datum et actum, ut supra.

Intabulacio dotalicii in tabulas cuiuslibet opidi.

69. G. VIII.

Nos N. capitaneus et scabini P. notum facimus tenere presencium, quod coram nobis in iudicio contestato et sanxito ante quatuor scampna iudiciaria, ubi iura nostri opidi effectum habere sorciuntur ac robur obtinent firmitatis, constitutus discretus vir N., noster concivis, XXI<sup>ti</sup> s. gr. C. sue conthorali in domo et altera dimidia quarta agrorum vel secundum oportunitatem materiam seminatum in ceteris quoque rebus sive bonis mobilibus nomine dotalicii assignavit et eadem tabulis nostri opidi iussit commendare non compulsus nec coactus, sed motu proprie voluntatis. Ipsaque C. sano amicorum consilio provisiva dixit se in eisdem pro dotalicio suo satis habere ad ecitque predicta C. quod si defuncto marito ipsa superstes remanserit et demum in viduitate permanens decesserit, ex tunc hoc idem dotaliciam ad pueros eius debeat devolvi.

70. G. IX.

Tibi, domino H., presentibus precipimus sub obtentu gracia nostre et mandamus, quatenus ad instantem expedicionem nostram, quam pro bono pacis instauravi-

mus, mox visis presentibus venias et procedas, ita quod cum omnibus armatis hominibus tuis, prout melius poteris, expeditis sis in tali festo circa talem locum finaliter constitutus, hoc ipsum pro foro talis provincie, cuius rector existis, faciens publice proclamare. Adicientesque hoc, quod is, qui ad ipsam expedicionem non venerit, rebus suis abiudicabitur et persona. Datum oc.

71. G. X.

Strenuo militi . . salutem cum plenitudine famulandi. Cum ad solvendum debitum, quo mihi tenemini, vobis statutus annus longo tempore fluxus sit (!) et huiusmodi dilacione solucionis per oportunitatem meorum creditorum instantiam dampnum intulerim grave, vestram igitur nobilitatem peto fiducialiter et obnixi, quatenus considerata mee indigencie penuria non faciatis moram in solucione debiti ampliozem, ut amplius me ad vestra beneplacita inveniat benivolam et paratam.

72. I. I.

Credens et estimans, quod honor ac dignitas militaris in vobis relucere debeat per observacionem promissorum vestrorum inviolabilem, non per fidefragium evidens et mendaciam impudicam, vos adhuc monco, ut ad recuperacionem honoris vestri et fidei reddende mihi vestra teneatis promissa, ne ipsum honorem vestrum pro modica videamini vendidisse pecunie quantitate. Nam si in huiusmodi desperationis proposito vos cogovero obstinatam, ex tunc consorcio et conversacione omnium personarum solcampnium (!), mediocrium et humilium utriusque sexus zelum honoris et fidei habencium vos indignum, tamquam degenerem et bona prosapia originem non traxisse denunciare non desinam in ecclesiis et per fora in vestrum et vestre prolis dedecus et contemptum, quamvis hoc coactus teste deo faciam et invitus, prout necessitas immuabilis me ad hoc urget et id tociens et tam diu facere non obmittam, quousque necessitate compulsus, si non virtute inductus, mihi debita persolvatis.

73. I. VII.

Anno oc XXVII<sup>o</sup> et XXVIII<sup>o</sup> Wenceslaus Rak, tutor et commissarius pie memorie Laurencii pannificis de Longa platea publicavit census retentos infrascriptos pro terminis Georgii et Galli predicti anni presentibus Johanne a cantaris, Mancone a vetulis consulibus, Polaczcone carnifice, Simone Wizzziwen, Petro pistore, Wenceslao Krabecz, officialibus officii sex dominorum sabbato ipso die Lucie: In Welen curia Medulany III s., in domo Ribka II s., in domo Girglonis in Longa platea II s. (reemptus est per Strnad) in domo Makal ad aureum equum III s., in domo Weisswasser I s., in domo Michaelis aurifabri I s., in domo Jacobi in foro pullorum I s., in domo Fridrici institoris II<sup>1</sup>/<sub>2</sub> s., in domo Martini ad aureum habatum II s., in curia Lowczicz X s. in domo Andree a Moyssem.

## B) Zprávy o obecním hospodářství z let 1422—1441.

(Z rukopisu č. 2099.)

1. 1423. — (f. 119.) Johannes rimer, dictus Briccius, coram magistro civium, consulibus ac scabinis non coactus, nec compulsus, sed sponte et benivole C s. gr. nobis et communitati nostre mutuavit. Nos vero magister civium, consules et scabini nec non tota communitas manu coniuncta et indivisa promittimus ipsi Johanni dictas centum s. gr. a die date presencium XVIIIa die dare et persolvere realiter et cum effectu pecunia in parata. Actum fer. VI die s. Stephani protom. anno XXIII.

2. 1423. — (ib.) Racio facta est ex mandato dominorum consulum cum officialibus hereditatum, vinearum et curiarum de omnibus perceptis pecuniarum in eisdem hereditatibus et vineis emcionis foro comparatarum, sic videlicet, quod de ipsorum officio Wenceslao Wostnik CC cum VI s. gr. dederunt et effectualiter presentaverunt. De eodem Wostnik coram dominis plenariam fecit recognitionem presentibus Martino Tassner (nedokončeno).

3. 1423. — Domini consules confirmaverunt decretum consilii precedentis, ita videlicet, quod Matheus ssafar det et assignet XVI s. Nicolao Span consuli a die presenti in duabus septimanis indilate. Act. fer. Va post Viti a. XXII.

4. 1423. — (ib.) Racio facta est de mandato dominorum consulum per officiales cum Wenceslao Wostnik; de omnibus in simul computatis et coequatis remanserunt ipsi

Wenceslao Wostnik debitorie obligati XLVI s. XXVII gr. III d., quam pecuniam exposuit comparando pro communitate pulveres pixidum et salnitris. Actum in consilio sabbato ante festum Penthecostes anno d. XXIII.

5. 1423. — (f. 123.) De mandato dominorum consulum Wenceslaus Wostnik debet dare et assignare omni anno ad tempora vite sue III s. gr., de illis XL s., quas prefatus Wenceslaus Wostnik communitati extat obligatus. In casu vero si prefatus Wostnik summam pecunie communitati persolveret, ex tunc dictae Srnienhove in nullo erit obnoxius. Actum fer. II. ante Tiburcii a. XXIII.

6. 1424. — (f. 139.) Sabbato post Katherine magistri civium et dominorum consulum communitas maior sessionata adinvenit et edixit infrascripta: Primum ut berne secundam antiquum modum (nedokončeno) — A. XXIII.

7. 1425. — (f. 159.) Iuxta delegacionem officialium sex dominorum ex consensu et voluntate et mandato dominorum magistri civium et consulum Maior. Civ. Pr. relicta Zumbriger promisit solvere III<sup>1</sup>/<sub>2</sub> s. gr. Lazaro Iudeo in et super debito Wilhelmi Kostka —. Actum in pleno consilio tempore regiminis Johannis Substuba.

8. 1425. — (f. 160.) Francz carnifex, pro tunc consul, Wenceslaus Straboch et Mathias porybny, ex communitate, sex dominorum [officii] officiales — recognoverunt se percepisse V s. in et super foro contracto domus ad Moisen a Nicolao Florek. Qui quidem supra dicti officiales dictam summam pecunie ulterius pro communi bono distribuerunt —. Act. in pleno consilio fer. III. ante Procopii presentibus Johanne Substuba, pro tunc magistro civium, et aliis iuratis.

9. 1425. — (f. 174.) Domini officiales Francz carnifex, Wenceslaus Straboch, Johannes Probosstik, Sigismundus Chanie et Matheus porybny proscripserunt curiam in Kossierz.

10. 1427. — (f. 201.) Isaac Iudeus et ceteri omnes Iudei dederunt, reposuerunt et assignaverunt dominis magistro civium et consulibus Maior. Civ. Prag. XXI s. gr. in et super censum et tributum pro termino s. Galli proxime advenientis. Quamquidem summam predicti magister civium et consules fassi sunt et recognoverunt se percepisse —. Actum fer. VI. ipso die s. Jacobi ap. a. XXVII.

11. 1428. — (f. 197.) Purgmistři, konšel s úředníky na žoldnéře vydanými znamenavše a spatřivše veliké nedostatky a zahubenie těch chudých lidí, kterýchž jest postúpeno opatrnému Hedvíkovi, aby na to choval dvě koně k obeenému dobrému, pro kteréžto nedostatky a zahubenie úroka a jiných použitkuov nemuož postihnúti, jakož jsme to zvláště sami spatřili, i s dobrým rozmyslem povázivše toho s těmi úředníky, takoveto se jemu stalo polehčenie, aby choval toliko dvě koně. Pakli by bylo které pilné potřebie pro obecné dobré a bylo jemu přikázáno od pánův konšelův nebo od obce, tehda má sám třetí k výjezdě hotov býti. Než kromě toho bude moci odbyti dvěma tovařisoma vedle jiných žoldneřův. Actum — anno XXVIII tempore regiminis Anthonii ab asinis.

12. 1431. — (f. 343.) Nos magister civium, consules et tota communitas Maioris Civ. Prag. recognoscimus presentibus universis, quod quemadmodum discreti viri Wenceslaus Rak, Wenceslaus Durssmid, Johannes rimer et Mathias pannitorsor, consules, Simcn ab albo leone, Johannes Reczko, Johannes a cantaris, Gira Domazlicky, Othmarus, Sigismundus Chanie, Petrus a pomis

paradisi et Wenceslaus Holec, communes, per nos ad rationem fiendam, ponendam et audiendam cum officialibus officii de Leta curia simultanee electi et deputati existerant, iidemque consules et communes ad rationem sic suscipiendam deputati ab eisdem utrisque officialibus ratione audita et suscepta et per eosdem officiales utrosque omnia percepta et distributa tempore ipsorum presidencie et gubernacionis coequata nos clare informaverunt, quod antedicti officiales officiorum utrorumque predictorum eandem rationem iuste, veraciter, plene et commendaliter peregerunt, summas perceptorum et distributorum universas sine intricatione veridice coequantes. Quam quidem rationem sic, ut dicitur, peractam nos consules et communitas predicti pro rata et grata noscipientes et dictis officialibus gracias multas de gubernacione eorum referentes eosdem officiales, heredes et successores ipsorum liberos, quittos et solutos pro omnia tempora eviterne dicimus. Actum in congregacione totius magne communitatis in pretorio anno d. XXXI fer. II ipso die b. Jacobi ap.

13. 1431. — (f. 346.) Domini consules emerunt apud Johannem Rokycansky mille sexagenas prolis carponum, sexagenam per quinque grossos computando facit in summa LXXXIII s. XX gr. — Actum fer. II. post dominicam Palmaram a. XXXIII. — Item iidem domini emerunt apud Mathiam Smolarz quadringentas sexagenas prolis carponum, sexagenam per dimidium quintum grossum computando facit in summa XXX s., cui de officio in Tyn solvere debent. Actum, ut supra.

14. 1436. — (f. 371.) Když jsou páni purgmistr a konšelé častokrát vznášeli na starší obec, která peněz nemá na tu výjezdu a na výpravu k tomu roku jako s ciesařovú milostí v Jichlavi o božské i obecné dobré vše této České země mají rokovati, tu starší obec odložila jest na velikú obec. A dále když jest svolána veliká obec, tu jest na ní vzneseno svrchupsanými pány, kde by měli peněz na tu výjezdu a na to rokovanie dobytí. A tak všecka obec veliká poradivši se a povázivši pilně toho nalezla jest a z rozkázání též obce jménem jejím Jan Reček vynesl jest a vypověděl, žádajíce na purgmistru a na konšelech svrchupsaných, aby peněz jim na tu výjezdu a k tomu roku dobyli a zboží některé na to zastavili neb prodali. A když jsou na mnohé osoby z zeman i z městských vznášeli žádajíce, aby peněz jim na zboží některé počili, a toho nemohúce od žádného mieti, i prosili jsou snažně opatrného Matěje od mříeninův, aby jim k tomu poradil a k takovému dobrému peněz počil na některé zboží aneb je od nich koupil. A tak k snažné, veliké a časté prosbě jich, maje lítost nad obcí, přivoliť jest k kúpení vsi. Tu s povoleniem vše obce prodána jest jemu ves, řečená Holubice, i jeho dědicóm a budoucím s použitky, panstvím i se vším příslušenstvím za čtyři sta kop gr. a ten trh aby jemu byl objisten a utvrzen jako služie, aby v tom žádných zmatkův neměl. Actum a. — XXXVI fer. II. ante Sophie.

15. 1436. — (f. 395.) Mathias Smolarz fecit rationem de bonis Tussem et aliis ad eandem spectantibus de omnibus perceptis et distributis eorundem bonorum presente Johanne a stellis et Martino Wlassimsky, consulibus, Bartossio pannifice et Iaxone carnifice, communibus, sic, quod eandem rationem domini consules acceptantes pro rata, grata, competenti et plenaria eundem Mathiam reddunt liberum, quittum et solutum. Actum pleno in consilio fer. III. post Valentini a. XXXVI.

16. 1436. — (f. 419.) My purgmistr a konšelé Velikého města Praž. tiemto zápisem všem na vě-

domie dáváme, že znamenavše a v jistotě shledavše, kterak slovník Mikuláš z Tuhanče, spoluměštěnín náš, a Janek odtudž, bratr jeho, škody nemalé na koních a na jiných věcech v jezdzách a v poselstvích, kteréž jsou z rozkázání našeho a obce naše pro obecné dobré činili, vzali sú, i v té míře peněz hotových mieti nemohúce a jim toho škodnu byti dáti nechtiece, i odkázali jsme svrchupsaným Mikulášovi a Janovi a tiemto zápisem odkazujeme, aby XX kop gr. za ty své škody, tak jako svrchu psáno stojí, vzaté na Svémyslicích vsi na úroce svatohavelském nyní nejprv přístiem vzali a vybrali a na tom aby jim nebylo překáženo a zmatkuov činěno od úředníků našich ani od jiných lidí. Actum pleno in consilio fer. II. dominice Letare a XXXVI.

17. 1437. — (f. 437.) Maternus, natus Henslini carnificis, et Mathias Krtek, officiales deputati et electi pro colligendis censibus de villis pro termino s. Galli proxime preterito, fecerunt rationem plenam — de omnibus perceptis et distributis coram dominis Johanne Reczek et Pessicone ab argentea stella, consulibus ad predictam rationem fiendam pleno ex consilio deputatis. Quamquidem rationem sic, ut dicitur, de huiusmodi villis, de quibus dominus imperator communitati commendit, factam et ordinatam domini magister civium et consules et scabini Mai. Civ. Prag. susceperunt — pro rata. — Actum pleno in consilio fer. III. ante Dorothee a. XXXVII.

18. 1441. — (f. 504.) Nos magister civium, consules et iurati Mai. Civ. Prag. universis presentium per tenorem recognoscimus, quod providi ac circumspici Maternus de Longa platea et Petrus aurifaber, coniurati, Johannes Trefan, Michael aurifaber, Wenceslaus Holec et Paulus linista, communes, ad rationem audiendam ab officialibus circa laborem turris pretorii, que erat propinqua ruine, videlicet domino Sigismundo Chanie de consilio, Bartossio pannifice et Georgio Domazlicky de communitate electis et deputatis, protestati sunt, quod iidem officiales de omnibus perceptis et distributis faciunt rationem veram —. Nos vero —. Actum fer. IIIa ante Omnium sanctorum a. XLI.

### C) Účty o sbírce městské (berna, collecta)

z let 1438—1463.

(Z rukop. č. 992.)

1. 1438, 17. března. *Rukop. č. 992 f. 175.* Nos magister civium, consules et scabini Maioris Civ. Prag. tenore presentium publice protestamur, quia circumspici viri Pessiko ab argentea stella, Mathias Krtek, Sigismundus Slama, Bernardus a Sampsona de consilio, Nicolaus a s. Anna, Wenceslaus de domo Barbaty, Johannes Wlcziehrdlo et Jaksso carnifex de communitate, coniurati et concives nostri, ad audiendam rationem pleno in consilio electi et deputati, nostro pleno in consilio personaliter comparentes protestati sunt et recognoverunt, qualiter officiales subscripti, videlicet Petrus aurifaber, Wenceslaus Píknošek, consules, Petrus Hylbrandi, Petrus Pala, Petrus a torque et Petrus Treusl, communes, qui sederunt super colligenda berna seu collecta, fecerunt coram ipsis veram, iustam et rationabilem rationem de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum presidencie de huiusmodi berna seu collecta susceptis et elargitis. Quam quidem rationem sic, ut premititur, per eosdem collectores

factam, expressam et ordinatam nos domini prefati suscepimus pro rata, grata, iusta et rationabili predictos collectores presentibus quitos, liberos penitus et solutos facientes. Actum feria secunda post Oculi dominicam anno d. MCCCCXXXVIII.

2. 1438, 26. srpna. *Tamtéž f. 178.* Nos magister civium, consules et scabini Maioris Civ. Pr. tenore presentium recognoscimus universis, quia antiquum consilium de anno d. MCCCCXXXVI per dive memorie d. Sigismundum imperatorem electum fecit rationem coram discretis viris Pessikone ab argentea stella et Sigismundo Slama, consulibus, Wenceslao rimer, Nicolao a s. Anna, Hanussio Bezbrady et Johanne apothecario, communibus, per nos ad dictam rationem audiendam deputatis veram et finalem et sine omni intricatione rationabilem de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum presidencie sumptis et elargitis. Quam quidem rationem sic, ut dicitur, per dictum antiquum consilium factam nos domini prefati audientes a dictis presidentibus fore integram veram et rationabilem eosdem dominos, magistrum civium et consules antiqui consilii nec non et heredes ipsorum reddimus presentibus liberos, quitos et omnino solutos de fidei dispensacione ipsis gratiarum acciones referentes. Actum feria tertia post diem s. Bartholomei anno d. MCCCCXXXVIII.

3. 1438, 27. srpna. — *Tamtéž.* Postquam magister civium et domini consules Maioris Civ. Pr. convocata seniori communitate postularunt, ut ab ipsis rationem de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum presidencie susceptis et elargitis audire dignarentur, ex tunc dicta communitas senior digesta dicta postulacione dominorum consulum deputaverunt ex se personas iuratas et certas, videlicet Wenceslao rimer, Nicolaum a s. Anna, Hanussium Bezbrady, Johannem apothecarium, Anthonium ab asinis, Petrum Ssidlo, Johannem Klika, Mathiam de Colonia, Petrum Pala, Petrum braseatorem, Mathiam Temlini et Nicolaum Hesolt ad suscipiendam prefatam rationem. Que quidem persone, sicut dicitur, deputate audita huiusmodi ratione a dominis prelibatis digna, rationabili, congrua et plenaria eandem in communitatem similiter seniore detulerunt. Communitas vero senior audita huiusmodi deposicione dictarum personarum eandem rationem susceperunt et presentibus suscipiunt pro rata, grata et rationabili ipsis dominis de huiusmodi fidei percepcione et distribucione gratias immensas referentes et libro ipsorum civili anotare mandantes. Actum fer. IIII. ante Decoll. s. Johannis b. a. MCCCCXXXVIII.

4. 1439, 9. července (f. 195.) Nos magister civium, consules et scabini Maioris Civ. Prag. tenore presentium publice protestamur, quia circumspici viri Petrus aurifaber, Wenceslaus Píknošek, de consilio, Anthonius ab asinis, Francz carnifex, Nicolaus a s. Anna et Wenceslaus rimer, de communitate, coniurati et concives nostri ad audiendam rationem pleno ex consilio deputati et electi, in nostro pleno consilio personaliter comparentes protestati sunt et recognoverunt, qualiter officiales subscripti, videlicet Sigismundus Chanie, Johannes Wolf, consules, Johannes a fontibus, Mathias ab albo cervo, Wenceslaus a carponibus et Jacobus Sobek, communes, qui rederunt super colligenda berna seu collecta, fecerunt coram ipsis veram, iustam et rationabilem rationem de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum officialatus et presidencie de huiusmodi berna seu collecta datis et susceptis. Quam quidem rationem, sic ut premititur, per eosdem collectores factam, expressam et ordinatam nos prefati domini audientes a dictis presidentibus fore integram, rationa-

bilem et congruam, eosdem collectores cum heredibus et successoribus eorum reddimus presentibus quitos, liberos et omnino solutos nunc et eviterne eisdem de fidei dispensacione gratiarum acciones referentes. Actum fer. V. post Kyliani.

5. 1444, 8. prosince. (f. 217.) Domini magister civium et consules Maioris Civ. Prag. cum tota magna communitas propter ardua facta communitatis erat convocata, ex tunc aliis factis dispositis prefati domini optaverunt a communitate, ut certis personis ex se electis rationem de omnibus perceptis et distributis per ipsos a tempore prioris rationis, videlicet anni d. M. CCCCXXXVIII fer. IIII. ante Johannis facte ab eis audiant et suscipiant. Cui quidem postulacioni tamquam consone et rationabili prefata communitas assensiciens personas subscriptas cum voluntate dictorum dominorum ad dictam rationem a prefatis dominis suscipiendam elegit et deputavit, videlicet Johannem a fontibus, Wenceslao Brzezka, Nicolaum pellificem, Johannem Ratajsky, Wenceslao Holec, Andream a rubea cruce, Johannem Trefan, Francz carnificem, Paulum Czipser, Petrum a noctua, Nicolaum Pytel, Wenceslao Muzik, Wenceslao a carponibus, Thomam pannificem, Mathiam ab angelis, Petrum cultellatorem, Nicolaum Hesolt, Ctiborium Merbotam, Chrzest suturem, Johannem Klikam, Johannem Kosthorzi, Mathiam Polonom thorrificem, Thomam suturem, Petrum Carthus pellificem, Procopium sartorem, Wenceslao coloratorem, Giram Kaderzawek pistorem, Petrum Satham, Thomam pellificem, Jacobum Czepel, Urbanum frenificem et Johannem Ssternbersky. Coram quibus personis, sic ut dicitur, deputatis prefati domini de sexingentis LIII sexagenis et decem grossis omnium perceptorum tempore ipsorum rationem fecerunt veram, rationabilem et sine omni intricatione dignam, sic quod omnibus simul computatis hincinde et veraciter distributa cum perceptis coequatis sepedicti domini remanserunt communitati octuaginta sexag. et quinquaginta quatuor gr. obligati. Que summa *in cista consilii* est effectualiter inventa et deputatoribus predictis ostensa. Prenarrati autem deputatores huiusmodi ratione a dominis audita eandem similiter in totam communitatem detulerunt seriatim ipsis facta rationis enodacione communitas denique universaliter tota enodacione eadem audita rationem prefatam pro rata, grata, iusta, completa et perfecta susceperunt et presentibus suscipiunt dictis dominis gratiarum acciones de fidei et circumspici elargicione referentes —. Facta est ratio fer. III. ipso die Conceptionis b. Marie V. a. d. MCCCCXLIII.

6. 1447, 17. ledna. (f. 220.) Magister civium et domini consules Maioris Civ. Prag. fecerunt rationem de noningentis cum dimidia altera sexag. et octo grossis minus tribus hallensibus suorum perceptorum ad consilium sumptorum a ratione, que facta est per eosdem dominos communitati anno d. MCCCCXLIII fer. III. ipso die Conceptionis b. Marie V. inchoantes, coram discretis viris Johanne a fontibus, Anthonio ab asinis, Mathia Oremus, Simone Mudry, Johanne Ratajsky, Paulo linicida, Wenceslao Brzezka, Nicolao Hesolt, Gregorio Krtek, Jacobo Sobek, Mathia Teml, Andrea Maustil, Frana a rota, Martino Huola, Procopio sartore, Petro Sopussek, Johanne Trefan, Iakssone et Francz carnificibus, Mathia ab albo cervo, Wenceslao Holecz, Petro Satha, Hanusscone braseatore, Mauricio a flabellis, Martino a cignis, Andrea a rubea cruce, Friderico ab unicorno, Petro Carthus, Petro Brzewnoviensi, Wenceslao a coronis, Johanne Albo, Cruce, Skrzieczka, Clemente rimer, Mathia ab ortulo, Georgio aurifabro, Waczkone Sliwensky, Petro Palonis, Wenceslao

Muzik, Procopio pictore, Laurencio a tribus regibus, Andrea Rod, Nicolao Sserlink, Procopio Píkus, Nicolao Pytel, Mathia sellatore, Paulo canulatore, Johanne Sstembersky, Busscone braseatore, Johanne Sswab, Urbano frenifice, Nicolao a stipite, Martino braseatore, Niclasio Czietolibsky, Nicolao sellatore, Johanne Kosthorzi, Franccone calciatore, Bohuslao ab albo leone, Johanne Mleziva, Johanne Pytlik, Nicolao Pobožnik et aliis quam pluribus, dignam, rationabilem, congruam et omnimode iustam, ita quod summam perceptorum veraciter coequantes cum summa distributorum per eosdem dominos expositorum remanserunt dicti domini communitati obligati quingentas et sedecim sexag. cum XII gr. et undecim hallen. et eandem summam mox ibidem omnibus assistentibus *de cista consilii* expositam communitati demonstraverunt. Qua quidem ratione prefata communitas ad hoc evocata de verbo ad verbum audita eandem approbaverunt, ratificaverunt, confirmaverunt et pro rata, grata, iusta — susceperunt. — Actum in estuario consilii feria tertia ipso die b. Anthonii a. d. MCCCCXLVII.

7. 1450, 16. listopadu. (f. 227.) Johannes Welwar, Johannes Benda, Jacobus Zlutický, Nicolaus Sserlink, Wenceslaus Waleczowsky, Wania, Brozko doliator, Johannes Swatba, Nicolaus saponista, Sigismundus Pytel, Petrus Sopussek, Wenceslaus a pueris, Johannes Prazak, Wenceslaus Chrzest, Martinus Chudec, Duchko thorfex, Johannes Zagieczek et Petrus braseator anno preterito noviter consulati Maioris Civ. Prag. predicti feria secunda post Briccii anni d. MCCCC fecerunt rationem pleno in consilio presentibus ibidem nonnullis communibus Nicolao Pytel, Wenceslao Holec, Nicolao Humpolec, Wenceslao Hedvika, Mathia Ssram, Jacobo dicto Sobek, Andrea ab angelo, Thoma pannifice, Johanne dicto Manda et Johanne Kosthorzi de omnibus perceptis in consulatus eorum presidencia sublati. In qua quidem ratione de summa perceptorum fuerunt posite quadringente quinquaginta due s. et III gr.; de summa vero distributorum trecente septuaginta due s. cum 3 1/2 gr. Sic quod perceptis ipsis ad sua distributa, ut moris est, coequatis, excreverunt percepta ultra summam distributorum in octuaginta s. gr. Quam pecuniam taliter, ut predictur, excretam, iidem domini consilii antiqui successoribus suis, dominis videlicet magistro civium et consulibus modernis seu ad presens consulatu predictae civitatis Prag. tunc presentibus *in cista consilii*, prout ab antiquo fieri est solitum, in deposito reliquerunt. Ultra quod de collecta per deputatos ad expedicionem pro campo contra marchionem Misnensem circa festum s. Egidii anni currentis de quarta s. Leonardi super stipendiariis sublata, ne vicinos ad eundem campum exire personaliter oporteret, XLVI s.; it. ex collecta de quarta s. Galli pro residuo temporis, quo prius in campo circa Costelec et Busstiewes minus solito perdurarunt, XII s. et de quarta s. Marie similiter ex collecta pro residuo temporis prenarrati quinque s., que ad rationem predictam non fuerant computate, etiam in cista consilii manibus dominorum — presentium sunt relictæ, ita quod summa totalis pecuniarum — ad CXLIII s. se extendens in ipsa cista consilii — est reperta. Et quia ipsis dominis et etiam communibus ad rationem eandem deputatis visum est unanimiter et concorditer, quod in ipsa eadem ratione, tam in perceptis, quam in distributis, extat rite legaliter secundum deum et iusticiam processum, prout etiam ex prehabitis hoc idem potest elici evidenter, gratis per eos ipsis dominis antiqui consilii exhibitis unisono, susceperunt ipsam rationem —.

8. 1452, 24. ledna. (*f. 232.*) Domini de antiquo consilio, qui anno d. MCCCCL a feria quarta post Egidii in officio consulatus usque feriam quartam seu diem Conceptionis Virg. Marie anni d. LI sederunt, fecerunt rationem de omnibus perceptis in consulatus eorum presidentia sublatis coram discretis viris per dominos — ad audiendam rationem predictam deputatos, scilicet Nicolao pellifice, Nicolao Humpolec, Nicolao Sserlink et Mathia de Rudnic, consulibus, Mathia Lauda, Jacobo Sobek, Wania, Johanne a fontibus, Sigismundus Pytlonis et Wenceslao Coranda, communibus. In qua ratione summa — perceptorum erat ducente octuaginta octo sexagene et decem grossi, summa vero distributorum ducente quinquaginta due s. viginti tres gr. et novem hall., sic quod predictis perceptis vocaciter cum distributis coequatis summa resultans fuit triginta quinque s. quadraginta septem gr. et quinque hall. Et hanc pecuniam — predicti domini antiqui consilii successoribus suis — in cista consilii depositam reliquerunt. Quam quidem rationem — Acta est hec rationis relatio pleno in consilio fer. II. ante Convers. s. Pauli a. d. LII.

9. 1453, 18. ledna. (*f. 234.*) Páni konšelé, kteříž sú seděli na úřadě konšelském léta b. 1448 od první středy po sv. Jijí toho léta až do též středy vrok léta b. 1449, po svém z toho úřadu szazení častokrát napomínali a žádali od pánuv potomních, aby počet jich příjmu a vydání toho roku za jich sedění od nich slyšán byl. Ale že Václava Duršmida, kterýž ten rok s nimi na tom úřadě seděl. k tomu počtu mieti nemohli, i nezdálo se pánóm od nich samých, poněvadž všichni přítomni nejsou, toho počtu slyšeti, než aby k tomu Duršmida obeslali. To když sú učinili a již řečeného Duršmida napomanuli, aby s nimi jakožto tovaryš a spolupřisedlíci jich ku počtu stál, toho jest Duršmid učiniti nechtěl. Potom i pány častokrát napomenut jest, aby stál a počet podle tovarišuv svých učinil, toho žádným jiným obyčejem učiniti nechtěl, než za gleitem a to pánóm se nezdálo proti řádu a právu učiniti. Pak po častém jeho napomenutí k stání výšpsaný konšelé stáří nechtěie na sobě pro vyvarování budoucího, kteréž by na ně i na děti jich mohlo přijíti, zlého, takového břemena nechati, znamenajíce také že smrtedlní jsú a že již z spolutovarišuv jich někteří i zemřeli sú, prosili pánów, kteříž v ty časy seděli, poněvadž již řečený Duršmid ku počtu státi nechce, aby ráčili od nich samých takový počet slyšeti. Tu páni konšelé znamenajíce svrchupsané jich nebezpečenství a budoucí zlé na obec zneše vuoli od nie majíce svú vuoli k slyšení od nich ten počet dali sú. Kteřížto tu vuoli majíce učinili počet před slovným Přechem z Budkovic a opatrnými Vaňkem Korandú, Janem Studničkú, Jakubem Žlutickým, konšely, Matiašem Loudú, Janem Bendú, Goliášem, Janem Pražákem, Brozkem, Váší a Matějem Pellicianovým, obecními, panem purgmistrem i pány konšely k slyšení téhož počtu vydanými, ze všeho příjmu a vydání v tom roce od nich přijatého a vydaného, tak že suma příjmu byla jest DXXXVII kop XXVIII gr. a VI hall. a vydání CCCCLXIX kop XXXVI gr. a XII hal. A po srovnání summy příjmu a summy vydání zuostalo jest peněz hotových LXVII kop LI gr. VIII hal., kteříž v truhle radní úplně a v cele od pana purgmistra a pánów potomních nalezeny sú. Kteřížto počet tak již od svrchupsaných starých pánów učiněný pan purgmistra a páni konšelé zpraveni jsúce od pánów a obecních, kteříž k slyšení toho počtu vydání byli, že jest pravý, spravedlivý a hodný, za pravý, spravedlivý a hodný přijali sú a mocí tohoto zápisu přijímají, již psané staré pány, dědice a budoucí jich jme-

nem svým i vše obce svobodny, prázdny i ovšem quitty činiece nyní i věčně, kromě vyš psaného Václava Duršmida, jenž ku počtu státi nechtěl, kterýž také i na jiných úřadech ten rok seděl a za staršieho byl, nad svú cti a vierú i nad přísahú, kterúž jest jměl, že zapomenuv, ty úřady, na kterýchž seděl, ne tak jakož jemu svěřeno bylo a podle přísahy vedl jest, ale jinak, jakož pak potom, když jest ku počtu těch úřaduov připraven, očitě v zlodějství shledán jest. Actum fer. V. post Anthonii anno oc LIII.

10. 1453, 20. ledna. (*f. 234.*) Domini consules, qui anno d. MCCCCLII feria quarta ipso die Conceptionis b. Marie V. in officium consulatus erant ordinati, fecerunt rationem de omnibus perceptis et distributis — coram discretis Wenceslao Coranda, Johanne a fontibus, Paulo Cipser, Johanne Pytlík, consulibus, Johanne Benda, Mathia Lauda, Johanne Labutsky, Welislao a Golia, Johanne Prazak, Brozkone doliatore, Wania et Mathia Pelliciani, communibus, per — consules modernos ad rationem predictam ab ipsis audiendam deputatos, ubi centum sexaginta septem sexagene viginti sex grossi et decem hallenses in summa perceptorum generali fuerunt. Centum vero triginta septem sexagene et viginti quinque grossi in distributis. Et exrescencie perceptorum ultra distributa extendebant se ad summam triginta sexag. unius grossi et decem hallenses. Quam — rationem — Actum pleno in consilio sabbato post Anthonii a. LIII.

11. 1453, 9. července. (*f. 236.*) Jacobus Zlutický, Paulus Czipser, consules, Jacobus Sobko, Gira Mielnický, Weliko Goliaš, Petrus Satha, communes, officiales — per consules ad colligendam collectam deputati fecerunt rationem coram prudentibus viris Johanne Studniczka, Wenceslao a pueris, consulibus, Nicolao Humpolec, Procopio apothecario, Johanne Prazak et Ziga Pytel, communibus, per prefatos dominos ad eandem rationem audiendam deputatos de predicta collecta omnium quatuor quartarum per unum grossum de una sexagena. Ita quod summa tocius collecte ratione facta extendebat se et erat CCXXXVII s. gr. cum XI den. Ipsamque summam plenarie et in toto in consilio reposuerunt. Quam rationem — Actum fer. II. ante Margarethe a. d. LIII.

12. 1453, 14. října. (*f. 239.*) Johannes Pytlík, Sigismundus Pytlonis, consules, Nicolaus Hesolth, Johannes Wlachy et Georgius saponista, communes, officiales ad colligendam collectam per magistrum civium et dominos consules deputati — omnium quartarum, coram — Johanne Trefan et Broz doliatore de lacu, consulibus, Mikess pellifice, Johanne Wolf, Wania, Mauricio a pectinibus, Nicolao Humpolec, Procopio apothecario, Wenceslao Peniezek et Petro de domo Rysslawy, communibus, per predictos dominos ad rationem audiendam deputatis de — collecta — omnium quartarum quatuor, de una sexagena per unum grossum — recepta, fecerunt rationem. Ita tamen quod summa — tocius collecte — erat V centum XXXII s. gr. L gr. VI den. De qua quidem summa pecunie V centum XXXII s. gr. in consilio reposuerunt, residuum vero infra tempus sue sessionis expenderunt. Quam rationem — Actum pleno in consilio fer. II. ipso die Calixti a. d. LIII.

13. 1453, 4. prosince. (*f. 237.*) Przech de Budkovic, Barthossius pannifex, Wenceslaus Coranda, Johannes Trefan, Wenceslaus a coronis, Johannes a fontibus, Jacobus Zlutický, Procopius sartor, Paulus Czipser, Mauricio a pectine, Nicolaus frenifex, Wenceslaus a pueris, Johannes Pytlík, Broz doliator de lacu, Mika Franconis, Samuel

Welwar, Johannes a pater noster, Paulus a vetulis, consules consilii antiqui, quorum locacio erat feria quinta ante Conceptionem b. Marie Virg. gl. de anno d. MCCCCLII in officium prefatum, fecerunt rationem coram — Simone Mudry, Johanne Hrdina, Sigismundo ab asinis, Ziga Pytel, consulibus, Matia Lauda, Mathia Mydlo, Andrea ab angelo, Petro de domo Rysslawy, Nicolao pellifice, Hanusio braseatore, Johanne Slatina, Wania, communibus, per — consules modernos ad dictam rationem — audiendam electis —. Ubi summu generalis perceptorum erat mille LXXXV s. gr. cum V gr.; summa vero distributorum fuerat VI centum XXXIII s. gr. XXXI gr. III den. et summa exrescens in cista consilii derelicta erat III centum s. XLI gr. XXXIII gr. III den. Quam quidem rationem — Actum in consilio fer. III. in die Barbare a. LIII.

14. 1454, 3. prosince. (*f. 240.*) Przech de Budkovic, Bartoss pannifex, Wenceslaus Coranda, Johannes Trefan, Paulus Czipser, Procopius sartor, Nicolaus Sserlink, Samuel Welwar, Simon Mudry, Johannes Pytlík, Ziga Pytel, Broz doliator, Johannes Hrdina, Duchek torrifex, Johannes Labutský, Sigismundus ab asinis, Lukess a cervo et Jacobus a pileis, consules antiqui, quorum sessio erat a sabbato die post Omnium sanctorum inclusive de anno d. MCCCCLIII usque feriam quartam anni LIII ipso die Leonardi exclusive, fecerunt rationem pleno in consilio coram — consulibus modernis presentibus, Mauricio a pectine, Wania, Nicolao Humpolec, Jacobo Sobek, Wenceslao Peniezek, Henrico Hemrle, Nicolao pellifice, Hanussio braseatore, communibus, — de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum sessionis receptis et elargitis, ubi summa — perceptorum erat MCCCXVIII s. LIII gr.; summa vero distributorum fuerat MCLXI s. XL gr. I num. et summa exrescens ultra distributa erat CCCXVI s. XXXIII gr. VI num., que in cista consilii est reposita. Quam — Actum in consilio fer. III. post Andree a. LIII.

15. 1455, 27. listopadu. (*f. 422.*) Przech de Budkovic, Barthossius pannifex, Johannes Trefan, Johannes a fontibus, Paulus Czipser, Samuel Welwar, Andreas ab angelo, Simon Mudry, Mathias Mydlo, Nicolaus frenifex, Johannes Rudnický, Broz de lacu, Sigismundus ab asinis, Lukess a rubeo cervo, Franco calciariator, Augustinus Holconis, Procopius sartor et Tomas braseator, consules, qui consulatus officio presiderunt a fer. III. ipso die s. Leonardi pro anno MCCCCLIII inclusive usque fer. V. eiusdem festi anni LV. exclusive, fecerunt rationem — coram: Johanne Pytlík, Jacobo Sobek, Johanne Hrdina de lacu, Hanussio braseatore, Toch carnifex, Jacobo a pileis, Georgio saponista, Mathia Pelliciani et Johanne a rubea cruce, consulibus novis, presentibusque Wenceslao Coranda, Johanne Slatina, Martino Piknosek, Jacobo Zlutický, Wenceslao, Johanne Hrdinka frenifex, Mikssone pellifice et Zygone Pytlonis, communibus, ita quod summa perceptorum erat DCCCHII s. XLII gr. VI numm., distributorum CCCLXXXIII s. VII gr., summa vero perceptorum exrescens ultra distributa CCCXXX s. XXXV gr. VI num. Quequidem summa per prefatos consules novos in cista consilii plenarie est inventa. Quam — Act. fer. V. ante Andree a. LV.

16. 1456, 2. prosince. (*f. 243.*) Przech, Barthossius pannifex, Johannes Trefan, Johannes a fontibus, Paulus Czipser, Samuel Welwar, Johannes Pytlík, Jacobus Sobek, Johannes Hrdina, Sigismundus ab asinis, Hanussius braseator, Lukess, Franco calciariator, Toch carnifex, Jacobus a pileis, Georgius saponista, Mathias Pelliciani et Johannes a rubea cruce, consules, qui presiderunt officio consulatus

a fer. V. ipso die s. Leonardi pro a. MCCCCLV inclusive usque feriam terciam festi s. Theodori anni LVI exclusive, fecerunt rationem — coram — Mauricio a pectine, Johanne Rudnický, Ziga Pytlonis, Augustino Holconis, Toma braseator et Duchkone torrifice, consulibus modernis, presentibusque Wenceslao Coranda, Johanne Slatina, Wania, Nicolao pellifice, Johanne Wolf, Johanne Wiechtiek, Martino Piknosek, Nicolao Hesolth, Jacobo Zlutický, Wenceslao a pueris, Broz de lacu et Golia, communibus, — sic quod summa — perceptorum erat DCCCXLIII s. XXIX gr. I hall. et summa — distributorum DCLIII s. XLIII gr., summa vero perceptorum exrescens ultra distributa CXC s. XLVI gr., que in cista dominorum est inventa. Quam — Actum pleno in consilio fer. V. post Andree a. LVI.

17. 1457, 18. července. (*f. 244.*) Jacobus Sobek et Augustinus Rak, de consilio, Welico Goliaš, Johannes Wlachy, Johannes a pater noster et Johannes Hedwika de communitate, officiales ad colligendam collectam omnium quartarum de una sexagena per medium grossum — per — consules deputati, fecerunt rationem pleno in consilio coram — consulibus presentibusque — Wenceslao Coranda, Mathia Pelician, Nicolao Hesolth, Wenceslao Chrzest, Wenceslao Peniezek, Broz de lacu, Johanne Wolf et Johanne Prazak, communibus, — ita tamen, quod summa tocius collecte erat CCXXXIII s. XXIII gr. III<sup>1</sup>/<sub>2</sub> d., que ibidem in consilio est derelicta. — Quam — Actum in consilio fer. II. ante Magdalene a. LVII.

18. 1457, 14. listopadu. (*f. 244.*) Samuel Welwar, Johannes Trefan, Paulus Czipser, Jacobus Sobek, Mauricio a pectine, Sigismundus ab asinis, Mathias Mydlo, Procopius apotecarius, Johannes Rudnický, Lukes a rubeo cervo, Ziga Pytlonis, Wenceslaus Krabec, Paulus Rochlovec, Duchko torrifex, Thomas braseator, Augustinus Holconis, Mathes Sserlink et Welislao ab agnello, consules, qui presiderunt officio consulatus a fer. III. ipso die Theodori pro anno d. MCCCCLVI inclusive usque feriam seu diem sabbati ante Omnium sanctorum anni LVII exclusive, fecerunt rationem — coram consulibus modernis presentibusque Wenceslao Coranda, Mathia Policiani, Mathia Lauda, Nicolao Hesolth, Wenceslao Peniezek et Johanne Hrdina de lacu, communibus, — sic quod summa — perceptorum fuerat DCCLIII s. XLV gr. <sup>1</sup>/<sub>2</sub> d. et summa — distributorum erat DCCXLII s. XLI gr. Summa vero resultans — XI s. III gr. <sup>1</sup>/<sub>2</sub> d. Que quidem summa in cista consilii est inventa. Quam — Actum pleno in consilio fer. II. post Briicii a. LVII.

19. 1458, 25. října. (*f. 248.*) Procopius sartor, Johannes Pytlík, Ziga Pytlonis et Mateus Sserlink, consules, Johannes a fontibus, Thomas braseator, Weliko Goliaš, Martinus Piknosek, Jacobus Mayer, Petrus Satha, Laurentius a tribus regibus et Johannes Wlachy, communes, officiales ad colligendam collectam de omnibus IIII quartis per — consules deputati coram discretis viris Johanne Trefan, Paulo Czipser, Nicolao Humpolecz, Jacobo Zlutický, Mauricio a pectine, Johanne Kosthorzi et Jarossio porybny, consulibus, Wenceslao Coranda, Mathia Lauda, Nicolao Hesolth, Wania, Johanne Sosnovec, Johanne Wolf, Johanne a pater noster, Wenceslao Peniezek et Francone calciariatore, communibus, — de preacta collecta — de una sexagena per II grossos receptos, fecerunt rationem sic, quod summa totalis collecte fuerat DCCCCLXXXII s. XXX gr. —. Quam — Actum pleno in consilio fer. III. ante Simonis et Jude a. LVIII.

20. 1458, 11. prosince. (*f. 249.*) Samuel Welwar, Bartoss pannifex, Johannes Trefan, Paulus Czipser, Nicolaus



Humpolec, Jacobus Zluticky, Mauricius a pectine, Procopius apotecarius, Procopius Bruncvik, Sigismundus ab asinis, Johannes Pytlík, Ziga Pytlonis, Lukess, Broz de lacu, Matheus Sserlink, Johannes Kosthorzi, Georgius aurifaber et Jarossius porybny, consules, qui presiderunt officio consulari a sabbato ante festum Omnium sanctorum inclusive pro anno d. MCCCCLVII usque feriam V. ipso die b. Teodori exclusive anni LVIII, fecerunt rationem — coram — Johanne Manda, Mathia Pelician, Petro de domo Rysslavy et Petro Prazak, consulibus modernis, presentibusque Wenceslao Coranda, Wania, Nicolao Heselth, Mathia Lauda, Henrico Hemrle, Jacobo Ssilhavy, Johanne Wolf et Johanne Prazak, communibus, — sic quod summa — perceptorum fuerat MCMXC s. LIII gr. VI d., summa distributorum — MCMXXIII s. XXIII gr., summa vero — resultans — LXVII s. XXIX gr. VI d. Que quidem summa in cista consilii est reperta. Quam — Actum pleno in consilio fer. II. ante Lucie a. LVIII.

21. 1460, 31. března. (f. 250.) Domini de antiquo consilio, qui anno d. MCCCCLVIII a feria V. ante Martini conf. inclusive usque feriam IIII. ante Tome ap. anni d. LIX in officio consulari sederunt, fecerunt rationem — coram — Nicolao Heselth, Brosio de lacu, Johanne Kosthorzi et Georgio Bohusska sartore, consulibus, Wenceslao Coranda, Johanne Wolf, Johanne Wiechtik, Wenceslao a pueris, Francone calciatore, Wania et Martino Pknuosek, communibus, — in qua ratione summa perceptorum erat DCLXXXIII s. XXXV gr. V d., summa vero distributorum CCLXXXIII s. V gr. I d., sic quod predictis perceptis veraciter cum distributis coequatis — summa excrecens extendebat sead D s. XXX $\frac{1}{2}$  gr. Quam — Actum pleno in consilio fer. II. ante Ambrosii a. LX.

22. 1461, 8. října. (f. 253.) Domini consules antiqui, qui anno d. MCCCCLIX a feria IIII. ante Thome ap. inclusive usque ad feriam secundam post Lucie virg. anni LX consulari presiderunt, fecerunt rationem pleno in consilio coram consulibus modernis presentibusque ibidem nonnullis communibus, videlicet Wenceslao Coranda, Wania, Jarossius porybny, Stephano ab ortulo, Duchcone torrifico, Francone calciatore, Jacobo Czepel et Johanne Wiechtik — de omnibus perceptis —. In qua quidem ratione de summa perceptorum fuerunt posite quingente viginti septem s. XXXIII $\frac{1}{2}$  gr., de summa vero distributorum quadringente sex s. XI gr., ita quod — excreverunt percepta — in centum viginti una s. XXII $\frac{1}{2}$  gr. — Quam — Actum pleno in cons. fer. V. Salus populi a. LXI.

23. 1462, 6. dubna. (f. 255.) Samuel de Hradek, Johannes Trefan, Paulus Czipser, Sigismundus ab asinis, Jacobus Sobek, Procopius a Bruncvik, Ziga Pytlonis, Johannes Pytlík, Lukess a cervo rubeo, Wenceslaus Peniezek, Johannes Prazak, Petrus Parziezek, Andreas Rod, Wenceslaus Polaczkonis, Martinus Pknuosek, Wenceslaus Holec, Barthossius pannitonsor et Nicolao cultellator, consules, qui presiderunt officio consulari a feria II. ante Thome ap. inclusive anni d. MCCCCLX usque fer. III. in crastino Epiphanie d. exclusive anni LXII, fecerunt rationem — coram — Matheo Sserlink, Brosio de lacu, Georgio saponista et Georgio Bohusska, consulibus modernis, presentibusque Wenceslao Coranda, Wania de Kwietow, Jacobo Zluticky, Wenceslao Kolinsky, Francone calciatore, Duchcone torrifico, Martino Chude et Johanne Hus, communibus, — sic quod summa perceptorum fuerat DCCXII s. XXXIX gr. I hall., summa distributorum fuerat DCLXXXII s. I gr. V hal., summa vero resultans

XXX s. XXXVII gr. V n. — Quam — Actum pleno in consilio fer. III. post dominicam Judica a. LXII.

24. 1463, 29. srpna. (f. 257.) Strenuus miles dominus Samuel de Hradek et de Waleczow prothoconsul, nec non famose prudentie domini Johannes Trefan, Paulus Czipser, Sigismundus ab asinis, Jacobus Sobko, Procopius a Bruncvik, Ziga Pytlonis, Lucas a rubeo cervo, Johannes Prazak, Nicolaus Hesolt, Matheus Sserlink, Johannes a rubea cruce, Martinus Pknuosek, Broz de lacu, Thomas braseator, Georgius saponista, Petrus Mičnicensis et Georgius Bohusska, consules Magne Civ. Pr., ad officium consulari constituti anno d. 1462 fer. III. in vigilia Epiphanie dominice in Excelso trono et in eodem usque ad annum d. 1462 et feriam IIII. ante Translacionem s. Wenceslai dominice Invocavit presidentes fecerunt rationes coram — Wenceslao Peniezek, Blaseo a luceo, Gregorio gladiatore et Johanne a gradu, modernis consulibus, communibusque Wenceslao Coranda, Jacobo Zluticky, Johanne Wolf, Wenceslao Chrzest, Johanne Pytlík, Andrea Rod, Nicolao cultellifabro et Jacobo Czepel —. In cuius rationis positione summa perceptorum 479 s. 40 gr. continebat, summa vero distributorum erat 445 s. 56 gr., resultantis pecunie 33 s. 44 gr. — Quam — Actum fer. II. in Decolacione s. Johannis a. LXIII.

#### D) Účty úřadu šestipanského z let 1437—1466.

(Z rukopisů č. 992 a 2099.)

1. 1437, 17. září. *Rukop. č. 992 f. 173.* Nos magister civium, consules atque iurati Maioris Civ. Prag. presentibus universis protestamur, quia providi Maternus de Longa platea, Mathias Krtek, Johannes Mucek et Nicolaus a rubeo cervo, concives et coniuurati nostri ad audiendam rationem pleno ex consilio electi et deputati nostro pleno in consilio personaliter comparentes protestati sunt et recognoverunt, qualiter officiales subscripti officii sex dominorum, videlicet Sigismundus Chan, Wenceslaus Dursmid, Wenceslaus Pknuosek, Nicolaus a s. Anna, Duchko institor et Johannes Wolf, fecerunt rationem iustam, veram et rationabilem et sine omni intricacione congruam de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum presidencie susceptis et elargitis. Quam quidem rationem sic, ut premititur, per eosdem officiales factam et expressam nos domini prefati suscipimus pro rata, grata, iusta et rationabili dictos officiales presentibus quittos, liberos et solutos facientes et temporibus affuturis facere promittentes, eis multas graciaram acciones de fideli ipsorum labore redditentes. Actum pleno in consilio feria tertia ipso die b. Lamperti tempore regiminis Pessikonis a stella a. d. MCCCXXXVII.

2. 1438, 1. září. *Tamtěz f. 178.* Nos magister civium, consules et scabini Maioris Civ. Prag. tenore presentium recognoscimus universis, quia providi Sigismundus Chan, Duchko institor, Francz carnifex, Wenceslaus colorator, Andreas Maustil et Augustinus a campana, officiales nostri officii sex dominorum, fecerunt rationem coram discretis viris Pessikone ab argentea stella, Sigismundo Slama, consulibus, Mathia Teml, Paulo Czipser, Nicolao sellatore et Brozone a tribus fratribus, communibus, per nos ad dictam rationem audiendam veram, finalem et sine omni intricacione rationabilem de omnibus perceptis et distributis tempore ipsorum officialatus et presidencie sumptis et elargitis. Quam quidem rationem, sic ut dicitur,

per dictos officiales factam nos domini prefati audientes a dictis presidentibus fore intergram, veram et rationabilem eosdem officiales, heredes et successores eorum reddimus quittos, liberos presentibus et solutos eisdem de fideli dispensacione graciaram acciones referentes. Actum fer. II. ipso die s. Egidii a. d. MCCCXXXVIII.

3. 1439, 25. srpna. *Tamtěz f. 195.* Nos — quia providi Nicolaus a rubeo cervo et Bernardus a Sampsona, consules, Mathias pannirator, Fridricz ab unicorno, Nicolaus a tribus faciebus et Mauricius de Lithomeric, communes, officiales nostri officii sex dominorum, fecerunt rationem coram discretis viris Sigismundo Chanie et Johanne Wolf, de consilio, Simone Mudry, Petro a noctua, Michaelae aurifabro et Wenceslao rimer, de communitate, per nos ad dictam rationem audiendam electi. — Quam quidem — Actum fer. IIIa post festum s. Bartholomei a. d. MCCCXXXIX.

4. 1441, 22. února. *Rukop. č. 2099 f. 498.* Nos magister civium, consules et scabini Maioris Civ. Prag. presentis proscricptionis serie cunctis publicam deducimus ad notionem, quod providi Sigismundus Chan et Matheus Krtek, consules, Michael aurifaber, Johannes a fontibus, Johannes Trefan et Paulus linicida, communes, ad rationem audiendam et suscipiendam ab officialibus officii sex dominorum omnimode deputati, videlicet a Nicolao a rubeo cervo, Bernardo a Sampsona, Mathia pannitonsore, Friderico ab unicorno, Nicolao a tribus faciebus et a Mauricio de domo Stukonis deposerunt nostro pleno in consilio, quod iidem officiales fecerunt rationem a feria ante Laurencii incipiendo anni d. MCCCXL usque feriam tertiā ante Bartholomei anni oc XLI plenariam —, quibus omnibus computatis — remanserunt XXII gr. obligati. Quam quidem — Actum pleno in consilio fer. IIII. ante Mathei ev. anno oc XLI.

5. 1452, 10. září. *Tamtěz f. 608.* Nos magister civium —, quia providi Mathias a luceo, Petrus aurifaber, consules, Jakso carnifex, Bartossius pannifex, Simon Mudry, Petrus Brzewniowsky et Johannes a cesare, communes, ad rationem audiendam ab officialibus officii sex dominorum deputati, videlicet a Nicolao a cervo, Bernardo a Sampsona, Mathia pannitonsore, Friderico ab unicorno, Nicolao a tribus faciebus et Mauricio de domo Stukonis, deposerunt nostro pleno in consilio, quia idem officiales fecerunt rationem a feria III. ante Laurencii incipiendo anni d. MCCCXLI usque feria III. ante Bartholomei anni XLII —. Quam quidem — Actum — fer. II. post Nativ. b. Marie a. XLII.

6. 1444, 13. října. *Tamtěz f. 902.* Officiales officii sex dominorum, videlicet Sigismundus Chan, consul, Mathias ab albo cervo, Simon Mudry, Petrus Brzewniowsky et Hanusko braseator, communes, fecerunt rationem coram Wenceslao Pknuosek et Bernardo a Sampsona, consulibus, Johanne a tribus fontibus, Jakssone carnifex, Michaelae aurifabro et Paulo linicida, communibus, ad predictam rationem audiendam — deputatis, videlicet ab anno XLII a dominica Miserere inclusive usque dominica Protector noster anni XLIII exclusive de summa pecunie septingentarum octuaginta trium s. gr. per ipsos dicto anno perceptorum et de anno d. XLIII a dominica Protector noster inclusive usque dominica Omnia, que fecisti, exclusive anni oc XLIII de summa septingentarum octuaginta s. cum XLVIII gr. pro eodem similiter anno perceptarum —. Quibus omnibus computatis — remanserunt prefati officiales dominis et communitati centum cum duabus s. minus VI gr., ex qua summa resultante ad

consilium dominis LXXX s. cum LIII gr. et officialibus novis in officio XXI s. reliquerunt —. Actum pleno in consilio fer. III. ante Galli a. XLIII.

